



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,  
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo  
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1709**

Qvæstio VII. In Titulum VII. De Hæreticis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)

vadere, possessionibus suis spoliare, Christi cultores delere, & sectas suas in terras fidelium, extincto, aut suppresso Christi, ac Cultorum ejus nomine, invchere, trans-

gressio pariter ex genere suo gravis est, utpote medium, ex se aptum, suppeditans in his circumstantiis ad finem divino jure graviter prohibitum.



## QVÆSTIO VII. IN TITULUM VII. DE HÆRETICIS.

636 **H**æresis, ut notavimus n. 619. dicitur ab electione, per quam homo baptizatus sibi eligit disciplinam, seu doctrinam contra fidem ab Ecclesia propositam, cui pertinaciter adhæret. Hinc, qui post professionem fidei factam in baptismo, errorem aliquem contra definitionem Ecclesie cum pertinacia tuetur, hæreticus est, & quidem tantum *materialis*, si ignoret, se errare; *formalis* autem, si errare se scit, & nihilominus errorem suum pertinaciter defendit. V. c. *qui in Ecclesia*, cum seq. 2. 4. quæst. 3. his præmissis:

### ARTICULUS I.

#### De Hæreticis.

637 **A**gimus hic de Hæretico formali, *non utcumq;*, sed *prout subjacet pœnis Ecclesiasticis*. Ex quo inferes, sub nomine *Hæretici*, prout ab Ecclesia punibilis, non venire. 1. Hæreticum *materialem*. Si enim inculpabiliter erret contra fidem, culpâ caret; igitur, & pœnâ. 2. Nec Hæreticum *formalem*, *pure mentalem*, qui scilicet nullo externo signo prodat latentem in animo hæresim; quia sic non præbet materiam censuræ, vel jurisdictionis Ecclesie. Nam de purè internis non judicat Ecclesia. Si quis autem mente retineat veram fidem, licet actu externo sapiat hæresim, saltem in foro poli, seu conscientie, hæreticus habendus non est. Sic Azor instit. moral. p. 1. l. 8. c. 9. Julius Clarus in præct. crim. §. *Hæresis*.

638 Præterea not. 1. non esse hæreticum, nisi in eo sit error, seu falsum judicium contra aliquam veritatem fidei, ab Ecclesia propositam. Error enim proprie importat falsum judicium. Not. 2. cum,

qui errat circa res fidei, paratus tamen est, corrigi, cum errorem invenerit, non esse censendum hoc loco hæreticum, quia sic ejus error non est conjunctus cum pertinacia c. *dixit Apostolus* 24. q. 3. Not. 3. Hominem, qui errat involuntariè, ac indeliberatè circa res fidei, aut invitatus patitur tentationes circa illas, non esse hæreticum; sic enim non errat voluntariè (consequenter per peccatum hæresis) contra fidem. Not. 4. Ad hæresim non sufficere errorem in fide, nisi conjunctum cum pertinacia (c. *qui in Ecclesia*, ead. causa, & quæst.) quæ in eo stat, quòd quis sciens suam opinionem adversari universalis Ecclesie Christi in terris doctrinæ, ac definitioni, nihilominus illum hujus doctrinæ præferat. Ut autem dicatur, *non scire* hanc contrarietatem, sufficere ignorantiam, licet graviter culpabilem, & crassam; docet Sanch. l. 2. moral. c. 7. n. 20. imò & affectatam propter tædium inquirendi veritatem, vel aliam similem causam, juxta Layman. l. 2. tr. 1. c. 13. n. 2. Sanch. cit. n. 23. Nam hæresis non est peccatum *ignorantiæ*, sed *infidelitatis* sitæ in errore contra fidem, quem quis pertinaciter, hoc est *scienter*, defendit contra judicium Ecclesie.

Dixi superius, ad hæresim requiri, 639 quòd erret contra fidem, *quam in baptismo suscepto professus est*, quòd intellige *de Hæresi, ut subjacet pœnis Ecclesie*. Cœterum ut quis sit verè hæreticus non solum coram DEO, sed etiam Ecclesia, sufficit, quòd erret contra fidem propositam ab Ecclesia Catholica; esto nunquam *fidem infusam* susceperit, vel in baptismo professus sit, modò fide humana novum testamentum receperit, vel Christum confessus sit. Hinc Anabaptistæ sunt simpliciter hæretici, esto primum adulti baptizentur. Sic Pirhing h. t. n. 3. Si enim negaret Christum, seu novum

novum testamentum, esset Judæus; si utrumque, Paganus, seu Ethnicus. Quando autem in c. 1. h. t. dicitur, *dubium in fide, infidelem esse*, intelligi debet de dubitante positivo. Dicitur autem positive dubius de fide, qui articulum ab ecclesia propositum sub obligatione credendi, iudicât, seu affirmat, *esse dubium, seu incertum, cui scilicet possit subesse falsum.*

ARTICULUS II.

De pœnis Ecclesiasticis hæreticorum.

640 **H**Æ pœnæ non afficiunt, nisi hæresim formalem, ac externam, prout articulo præcedenti exposuimus. De his etiam in iure civili extat titulus, ordine quintus in lib. 1. Cod. Inter pœnas Ecclesiasticas hæreticorum est excommunicatio, irregularitas, infamia, &c. de quibus in sequentibus. Not. tamen, quæ dicturi sumus de pœnis hæreticorum, intelligenda de iure antiquo; nam plura hodie propter consuetudinem contrariam, aliter in multis locis observantur, ut dicemus in seqq.

§. 1.

De Excommunicatione hæreticorum.

641 **P**rima pœna, quæ statuitur in hæreticos, est *excommunicatio lata sententia*, ut habetur c. 8. 9. 13. & 15. h. t. & post bullam cœnæ, reservata Pontifici, ut notat Pirhing hic n. 15. licet olim fuerit sententiæ tantum ferendæ. c. *Si quis* 22. q. 7. Eam incurrunt non tantum ipsi hæretici, verum & *receptatores, fautores, defensores*, scilicet *ut sales*, seu credentes, eorum doctrinam esse veram, c. *Sicut*, 8. eod. & c. 13. §. *credentes*, item corpora eorum scienter sepultura mandantes, c. 2. eod. & hinc merentur absolutionem, nisi ea extumulata publicè abjiciant, ut dicitur cit. c. 2. eod., quod ex illorum tumulatione polluat Ecclesia.

642 Circa præsentem tamen pœnam not. 1. quod hæretici hodie, licet ipso iure excommunicati sint, non propterea ex obligatione vitandi sint à Catholicis, nisi nominatim, & expressè sint denunciati, ut constat ex constitutione Martini V. quæ incipit *ad evitanda*, edita in Concilio Constantiensi. Ex hoc autem, quod quis nominatim *declaretur* hæreticus, nondum censetur *nominatim declaratus excommunicatus*, ut docet Sanchez. cit. n. 4.

Tom. V.

Not. 2. sub pœna excommunicationis prohiberi, ne Laici de fide Catholica disputent cum hæreticis, vel aliis. c. *quicumque* §. *inhibemus*, de hæreticis in 6. Hæc prohibitio (ne liceat disputare cum hæreticis de fide Catholica) extenditur etiam ad Clericos regulares, c. *cum quibus* 24. q. 3. junct. gloss. V. *Certamen*: sed intellige cum hæreticis, *qui sunt, vel aliquando fuerunt Magistræ erroris*. Sanch. cit. n. 12. Limitatur tamen utraque prohibitio, 1. ut non procedat, si talis disputatio fiat coram instructis, & firmis in fide ad confutandum errorem alienæ, & defensionem nostræ fidei. 2. si fiat à viris doctis (ut à Theologis) vel exercitii causâ, ut in scholis. 3. si id exigeret necessitas.

Not. 3. universaliter, ubi Catholici cum hæreticis mixti vivunt, etiam Laicis (secluso periculo perversionis) licere cum hæreticis disputare, nec ob id excommunicari; quia constitutio illa pœnalis in his terris vel non est usu recepta, vel abolita. Sic Becanus in tract. de fide cap. 15. q. 7. num. 6.

Not. præterea. 4. Laicis prohibitum esse prædicare, c. *Cum ex injuncto*, 12. h. t. c. *Sicut*. 14. eod. & alibi. Quintò suspectos de hæresi, nisi debitè se purgaverint, excommunicandos esse; & si per annum in excommunicatione persistierint, tanquam hæreticos esse condemnandos, c. *Excommunicamus* 13. §. *qui autem* h. t. quod etiam procedit; si tanquam suspectus de hæresi, citatus non compareat, c. *cum contumacia* eod. in 6.

§. 2.

De irregularitate hæreticorum.

**A**ltera hæreticorum pœna est *irregularitas*, quæ etiam post hæresis detestationem, & absolutionem durat, c. *Non consuetudinem*, dist. 12. ubi modis omnibus prohibetur, Donatistas, ad *Præmaturam dignitatem* provehi; & c. *Saluberrimum*. 1. q. 7. ibi: illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio, *si adempta sibi omni spe promotionis*, in quo inveniuntur ordine, stabilitate perpetuâ maneat, & maxime in c. *Quicumque* 2. §. hæretici. h. t. in 6. & licet hic jus loquatur *de Clericis*, extenditur tamen etiam ad Laicos, quia fundamentum ibi non ponitur

nitur in Clericatu, sed in crimine hæresis. Hoc Pirhing hic n. 45. concedit, si sint hæretici notorii, seu publici, vel per evidentiam facti, vel per sententiam Judicis, vel per propriam confessionem in judicio; non autem, si sit externa, sed occulta; sed probabilius est, quod dicemus infra n. 650.

647 Not. autem 1. hanc irregularitatem etiam extendi ad hæreticorum defensores, fautores, & receptatores, qui ubique comparantur hæreticis, c. 2. *§. hæretici, & c. statutum 15.* de hæreticis in 6. & sub hac inhabilitate ad beneficia, etiam venire inhabilitatem ad ordines, qui spectant ad officium Ecclesiæ *§. hæretici*, sic loquitur: *hæretici autem, credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum permittuntur; quod si secus actum fuerit, decernitur irritum, & inane* & cit. c. statutum idem decernitur, & declaratur, dictam inhabilitatem extendi ad filios eorum per primum & secundum gradum paternæ lineæ; maternæ verò ad primum duntaxat, si majores eorum in hæresi decessisse probentur.

648 Not. 2. dictam irregularitatem extendi etiam ad suspectos de hæresi, ratione indecentiæ orta ex infamia, quâ dantes causam sinistrae suspicioni, afficiuntur, nisi iusta causa suspensionem tollat. c. *Infames 6. q. 1.* ibi: *eos qui Christiana legis normam abjiciunt, & statuta Ecclesiastica contemnunt.* Cæterum, qui sunt suspecti, vel diffamati de hæresi, non sunt ipso jure privati beneficii obtentis; sed juxta criminis qualitatem privandi; ita Sanch. cit. l. 2. c. 26. n. 14.

649 Not. 3. eam irregularitatem extendi ad filios hæreticorum, & fautorum, *quatenus probatur*, eorum parentes tales esse, aut decessisse inemendatos, ut diximus ex c. *statutum 15.* de hæreticis, in 6. Hanc extensionem intellige usque ad secundum gradum in linea paternæ; ad primum tantum, in maternæ; & hoc ideo, ut facilius parentes convertantur ad Ecclesiam, ac deterreantur ab ejus perturbatione per impii dogmatis manifestationem, scientes, etiam in liberis se puniendos. arg. L. 8. ff. quod metus causa. Not. 4. eandem extendi etiam ad illegitimos hæreticorum; cum textus ubique loquatur simpliciter de *liberis* hæreticorum, præsertim cum hi æquè sint portio corporis & sanguinis paterni, ac legiti-

mè nati, gloss. in c. *Statutum V. Legitimus.*

Not. 5. irregularitatem ex hæresi etiam incurri, si hæresis sit externa, licet occulta per accidens; hoc est, licet nec jure, nec facto probari possit; nam hæc imponitur crimine externo, quin exigatur ejus probatio. Sic Azor p. 1. l. 8. c. 11. q. 12. quod intellige de ipsa persona hæresi infecta. Not. 6. quod hæc irregularitas extensa ad filios hæreticorum, etiam intelligatur de natis, antequam parentes in hæresim laberentur; quia textus imponens hanc pœnam, solum considerat, & fundat se in eo, *quod parens sit hæreticus, aut in hæresi decesserit.* Sic Covarruvias p. 2. Variar. resolut. c. 8. n. 5. Textus enim in c. 15. & c. *Fergetis 10.* h. t. simpliciter loquitur de liberis, non distinguendo: *nati sunt autè, vel post.*

Not. 7. ordinatum ante Patris hæresim non suspendi ab executione Ordinis, nec beneficio privari, quia jus alteri quæsitum, non debet eidem auferri sine facto suo; præsertim cum aliud sit, *non admitti ad beneficium acquirendum*; aliud, *ab aquisito dejici*; ita Sanch. l. 2. in decalog. c. 28. n. 30. Not. 8. hanc irregularitatem habere locum in filiis relapsorum in hæresim, qui ante mortem sunt reconciliati Ecclesiæ; quia non obstante hac reconciliatione non admittuntur ad poenitentiam *quoad Ecclesiæ gratiam hujus pœnæ remissionem*, ut exigit textus in cit. c. 15. sed traduntur brachio seculari puniendi, ex qua pœna sequitur infamia non factus, ac si parentes in hæresi obiissent. Sic Zoësius hic in 12. cum gloss. in dict. c. 15. V. *reincorporatos*, ut dicit, idem tenendum de filiis hæresiarchæ, eò quod huic reconciliatio non profit.

Not. 9. eum, qui ante hæresim susce- pit Ordinem, & post hoc in eam lapsus, de- nuo reversus est ad fidem, in suscepto ordine non posse ministrare sine dispensatione; quia hæc irregularitas æquè tangit susceptum, ac suscipiendum Ordinem, ut colligitur ex cit. c. *Saluberrimum 1. q. 7.* sic Zoësius hic n. 5. Not. 10. in his provinciis Septentrionalibus ex recepta jam consuetudine cum Laicis ab hæresi conversis ad Ordines dispensare Episcopos, sicut etiam, ut in prius susceptis ministrant. Ita Sanch. l. 2. moral. c. 25. Laym. l. 1. p. 5. c. 4. Cæterum, si Sacerdos, vel Episcopus fiat hæreticus potestate Odinis non privatur. Azor. p. 1. l. 8. c. 13. à q. 4. Hinc Episcopi ab hæresi re- deun.

deutes non ordinantur iterum, c. *conventibus* 1. q. 7.

653 Et quoniam hæretici sunt irregulares, sunt etiam inhabiles ad acquirenda beneficia, & ad publica officia; cum sint etiam excommunicati, c. *quicumque*, §. *hæretici*, h. t. in 6. imò beneficiis etiam prius obrentis priventur, c. *Us commissi* §. *privandi*, eod. in 6. & quidem ipso iure, ut constat ex c. *Ad abolendam*, ibi: *omni officio, & beneficio Ecclesiastico privatus*, quod verbum significat executionem, & c. *cum secundum*. 19. h. t. in 6. ubi dicitur, *omnia bona hæreticorum esse ipso iure confiscata*; sed hæc intellige post Judicis sententiam declaratoriam criminis; secus, si prius redeant, vel poeniteant. Nec obstat, quod in c. *commissi*, §. *ult.* solum dicantur *privandi*, vel *privati denuntiandi*. Nam particula *vel* sumi debet copulativè, non disjunctivè, ut probatur ex præmissis capitulis, quæ omnia loquuntur de facto, habente annexam executionem.

§. 3.

De infamia hæreticorum.

654 Inter alias hæreticorum poenas est, quod ipso iure sint infames infamiâ juris, c. *Excommunicamus* 13. §. *Credentes*. h. t. ibi: *ex hinc ipso iure sit infamis*, postquam scilicet talium excommunicatione fuerit notatus, si satisfacere contempserit intra annum, & c. *statutum*, 15. eod. in 6. ubi omnes hæretici, utriusque sexus, *perpetuâ notantur infamiâ*. Hanc infamiam incurrunt ipso iure etiam fautores hæreticorum, si scilicet satisfacere contempserint intra annum, ut patet ex textu. Sic Azor p. 1. l. 8. c. 13. Not. autem, quod hæretici dictam infamiam non incurrant, nisi post sententiam Judicis declaratoriam criminis; cum sit infamia juris; si autem hæresis sit notoria, sunt infames ipso facto; quæ infamia aboletur per factum contrarium. Porro infamia juris repellit ab omni honore, dignitate, & actu legitimo. Authent. *Credentes* §. *nullus*, C. h. t. Cum enim infames sint, officia publica obire non possunt, de quo V. Zoësum h. t. & alios.

§. 4.

An, & qualiter hæretici priventur Sepulturâ Ecclesiasticâ?

655 Hæc poena statuitur in c. *Sicut*. 8. §. *Si autem* h. t. ibi: *Si quis in peccato ha-*  
Tom. V.

*resis decesserit, oblatio pro eo non fiat, nec inter Christianos sepulturam accipiat, non obstante privilegio quibuscumque indulto.* Nam cui vivo non communicamus, ei nec mortuo communicare licet, per c. *Sacris*. 12. de Sepultur. nisi ante mortem absolutus sit. Idem statuitur c. *quicumque*, 2. de Hæreticis, in 6. ubi excommunicantur omnes, *qui scienter præsumperint Ecclesiasticâ sepultura tradere hæreticos*, eis credentes, eorum fautores, defensores, vel receptatores excommunicatione duraturâ, dum idoneam satisfactionem præstent; nec absolvendâ, nisi propriis manibus publicè eos extumulent, & ejusmodi corpora damnatorum projiciant, si ossa eorum possint ab aliorum ossibus discerni; non autem aliâs, si non; ut dicitur c. *Sacris*, de Sepultur. junctâ gloss. V. *Extumulent*.

Præter hæc not. locum illum sacrum, 656 in quo hæreticus contra prædictos canones tumultus fuit, ejecto cadavere, ut præmissum est, reddi profanum in perpetuum, ita, ut in eo corpora fidelium sepeliri non possint, ut notat gloss. in casu ad cit. c. *Sacris*. Not. 2. hanc excommunicationem esse latâ sententiæ, ut patet ex illo: *excommunicationi subjaceant*, quæ verba significant censuram ipso iure, ut notat Francus in cit. c. *quicumque* 2. h. t. in 6. nec incurri, nisi quis *sciat*, eum, quem sepelir, decessisse in formali hæresi, & temerè, ac ex malitia id agat. Illud enim denotat ly *Scienter*; istud verbum *præsumperint*. Et quoniam, quod quis novit solum per famam, non dicitur *scire* propriè; non satis est ad incurrendam eam poenam, quod sepeliverit hæreticum, quem esse talem novit per solam famam; quia ly *Scienter* in hac juris dispositione, quæ poenalis est, sumi debet propriè, ac strictè. Et ideo etiam verbum *hæreticos* videtur sumendum strictè, pro nominatim denuntiato hæretico, ut vult Navarr. l. 5. consil. 12. n. 6. sed hoc non videtur requiri; cum reverâ restrictioni, & proprietati ejus *termini* sufficiat, si *hæresis sit formalis, & externa*.

Not. 3. dictam excommunicationem, in 657 sepelientes hæreticum Ecclesiastiâ sepulturâ latam, non esse reservatam in Bulla cœnæ, vel alio iure. Sic Navarr. cit. Consil. 11. n. 6. Unde, licet in c. *Excommunicamus* 13. §. *sanè* h. t. dicatur, ut Clerici, hæreticis Ecclesiasticâ Sacramenta exhibentes, vel Christianæ Sepulturæ tradere præsumentes,

aut eleemosynas, vel oblationes eorum percipientes *suo priuentur officio, nunquam restituen- do sine indulto speciali sedis Apostolica*, nulla tamen mentio fit *excommunicationis*; cum textus loquatur solum *de officio*. Not. 4. omnem dispositionem Ecclesiasticam, quæ fit sub terminis universalibus, extendi etiam ad laicos, quando est *de materia Ecclesiastica*, qualis est sepultura Ecclesiastica. Unde pœnalis hæc dispositio *de sepeliente hæreticum Sepulturâ Christianâ*, etiam laicos comprehendit, cum universalis sit, ibi: *quicumque*. Not. 5. non esse sub prohibitione, *simpliciter sepelire hæreticum*, ex causa rationabili v. g. ne cadaver inhumatum jacens foetore aërem inficiat; vel alio honesto titulo v. g. consanguinitatis, amicitia; modò non fiat favore hæresis, & in loco sacro. Nam in hujus vitii odium tendit ea juris dispositio.

§. 5.

*An, & qualiter hæreticorum bona cadant sub confiscationem?*

658 **Q**Uoad hanc pœnam dicemus, quæ jure communi disposita sunt; hodie enim multa sunt in alio usu. Quare not. 1. bona hæreticorum, sita in territorio Ecclesiæ dominio temporali subiecto, publicari; si autem sint sub dominio aliorum, Dominos temporales ad idem jure Ecclesiastico faciendum teneri; & si in hoc negligentes sint, debere per censuram Ecclesiasticam ad id compelli appellatione remotâ. Sic Innocentius III. in *c. Vergentis* 10. h. t.

659 Not. 2. bona hæreticorum, quæ sunt dominio temporali Papæ, applicari Fisco Ecclesiæ; arg. c. 2. de success. ab intestat. sic Fagnanus ibid. à n. 4. Si autem sub sint Potestati, seu Principi seculari, & dicti hæretici sint *Laici*, applicari Fisco potestatis secularis; si autem Clerici, Fisco Ecclesiæ, à quibus stipendia acceperunt, per. c. *Excommunicamus* 13. §. *Damnati*, h. t. si verò non habebant Ecclesias, Episcopo; ut in pios usus ea convertat, vel distribuat. Sic Abbas in cit. c. 13. id, quod etiam insinuat in *c. super quibusdam* 26. de Verb. signif. ibi: *quorum bona propria confiscentur*.

660 Circa præsentem pœnam not. 3. bona hæreticorum ipso jure, seu factò esse obnoxia fisco, seu confiscationi à die commissi criminis, ut testatur Sanchez l. 2. moral. c. 14. n. 1. ex gloss. in cit. c. 9. V. *ipso jure*; eorum

tamen occupationem fieri non debere per secularem potestatem prius, quàm per loci Episcopum, vel aliam personam Ecclesiasticam, ad id potestate munitam, sententia super eo crimine publicetur; cum hæresis sit crimen Ecclesiasticum, consequenter de foro solius Judicis Ecclesiastici. Sic Bonifac. VIII. in *c. Cum secundum* 19. h. t. in 6. quibus positus:

Quares 1. an hæreticus ejuratâ hæresi 661 ad fidem Catholicam conversus, bona sua, quæ per fiscum occupata sunt, recuperet? R. quòd non, *de jure*; posse tamen de *miseri- cordia*, si Domini velint, illis reddi; est decisum in *c. Vergentis*, 10. h. t. ibi: *nec ad eos bona eorum ulterius revertantur, nisi eis ad eos revertentibus, & abnegantibus hæreticorum consortium, misereri aliquis voluerit*, ut temporalis saltem pœnâ corripiat, quem spiritua- lis non corrigit disciplina.

Quares 2. an in dato casu confiscatio 662 bonorum procedat, etiam si tales hæretici liberos habeant, etiam Catholicos? R. affirmative, & ita quidem, ut fiscus etiam possit in his nihil eis relinquere. Ratio est ex cit. *c. Vergentis*. ibi: *nec exhereditatio Catholicorum (filiorum) debet impedire censuram hujusmodi severitatis, cum in multis casibus filii pro Patribus temporaliter puniantur*.

Quares 3. an bona hæreticorum con- 663 fiscari possint, licet primùm post mortem de hæresi convicti, & condemnati sint? ut si mors contingat pendente accusatione super eo crimine. R. affirmative, colligitur ex cit. c. 19. cum indefinite loquatur de bonis *hæreticorum*; & ideo bonorum occupatio etiam à Laicis (post sententiam declaratoriam criminis) ipso factò fieri potest, jure ipsis hanc potestatem constituyente, ex n. 658.

Quares 4. an hæreticus confiscatione 664 bonorum quam incurrit ipso factò à die commissi criminis, simul amittat proprietatem, & dominium eorum bonorum? R. proprietatem, & administrationem bonorum non amitti ante sententiam declaratoriam criminis; ita Sanchez cit. l. 2. c. 22. a n. 3. Nam hoc non necessariò infert bonorum confiscatio, ut mox patebit. Si dicas: ergo talis confiscatio nullum habebit effectum ante illam sententiam? R. negando illatum; præstat enim hoc, quod bona confiscata ab illo tempore maneat fisco realiter obligata, & tacite hypothecata; ex quo fit, quòd

ab

ab hæretico eorum bonorum alienatio *voluntaria* (non autem *necessaria*) interim facta, non teneat *firmiter*, ac *irrevocabiliter*; sed secuta criminis declaratione à fisco revocari possit; & à die criminis commissi, fructus percepti, & omnia inde secuta in præjudicium fisci, rescindi possint: de quo Sanch. cit. à n. 33.

665 Quæres 5. quæ bona veniant sub nomine *bonorum*, quorum confiscatione ipso facto puniuntur hæretici? R. quod omnia tam mobilia, quam immobilia, quæ *damnati propria* sunt; quin etiam jura, & actiones, quæ jure veniunt sub appellatione bonorum; ita Sanch. cit. l. 2. c. 14. & seq. Nam hæretici cadunt in hanc pœnam jacturæ *omnium bonorum simpliciter, & absolute*, ut dicitur c. *Cum secundum* 19. h. t. in 6. l. *Bonorum* 208. ff. de verb. Signif. & l. 4. C. de hæret. Not. tamen, mulieres, hæreticorum uxores, sed Catholicas, propter hæresim mariti non incurrere pœnam confiscationis bonorum dotalium, aut aliorum, quæ sua sunt, nisi *scienter* nupserint hæretico, ut dicitur c. *decrevit* 14. h. t. Nam (ubi jure contrarium non est expressum) leges vetant, uxores inquietari ob maritorum culpam. l. 2. C. Ne uxor pro marito. Neque dicas: ergo etiam vir Catholicus perdet bona propter hæresim uxoris, si *scienter* ducat hæreticam R. n. illatum: Nam uxori scienter nubenti hæretico ea pœna infligitur ratione periculi perversionis, quod ipsa subit *propter imbecillitatem sui sexus, & subjectionis*; quæ non est communis viro.

666 Quæres 6. an omnia bona Clericorum, si sint hæretici, cedant fisco Ecclesiæ post declarationem criminis? R. 1. id intelligi de bonis, quæ perceperunt ex suo beneficio, ut diximus ex c. 13. §. *Damnati* h. t. ibi: *applicentur Ecclesiis, à quibus stipendia acceperunt*. Nam hæc de jure non possunt transmitti ad hæredes extraneos; c. *Quia nos* 9. c. *Relatum* 12. de Testam. sed apud Ecclesias, sub quibus beneficia sunt, remanere debent; ergo transire non possunt ad fiscum. Si autem quæras, quid dicendum de patrimonialibus, & quasi patrimonialibus, de quibus etiam ad extraneos testari possunt? R. etiam de his dicendum, ea, seclusâ consuetudine contrariâ, de jure applicanda fisco Episcopi, ut ea in pios usus distribuat; nam bona sequuntur personam, tanquam accessorium, de quo V. Sanchez. l. 2. moral. c. 20.

§. 6.

An, & qualiter hæretici sint inhabiles ad testandum, & succedendum?

Quæstio 1. est, an hæreticus possit facere 667 testamentum? R. non posse *valide* de bonis publicatis post sententiam Judicis declaratoriam criminis; colligitur ex c. *Excommunicamus*, 13. §. *Credentes*, h. t. ubi hæc pœnâ puniuntur hæreticorum fautores, ibi: *sic etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem*; ergo à fortiori etiam hæretici; quod etiam dicitur L. *Manichæus* 4. §. *Ergo C.* de hæreticis; nec quidem ad pias causas; cum bona publicata à die commissi criminis non sint alienabilia, per n. 664. Hæc incapacitas probabilius non incurritur ante dictam sententiam quoad valorem actûs; sed tantum *quoad firmitatem*, propter dicta n. cit. Et ideo testari poterit de bonis post sententiam acquisitis, cum hæc non sint ex publicatis. Porro testamenta hæreticorum de bonis publicatis post sententiam condita, ita sunt irrita, ut nec secuta pœnitentiâ conualescant; ita Farinac. in tr. de hæresi, q. 190. n. 93.

Quæstio 2. est, an hæretici sint capaces 668 hæreditariæ successions ex testamento, vel ab intestato? R. negativè, cit. c. *Excommunicamus*. §. *Credentes*, ibi: *nec ad hæreditatis successorem accedat*; & cit. L. *Manichæus*, §. *quos bonorum*; quod extenditur quoque ad legatum eis relictum, etiam ex testamento militis. L. *fin.* C. de hæret.

Quæstio 3. est, an hæretici hanc incapacitatem incurrant ipso jure, & statim à die commissi criminis sic, ut etiam ante sententiam Judicis condemnatoriam, vel declaratoriam, debeant hæredibus defuncti hæreditatem, vel legatum reddere? affirmant plures apud Sanch. l. 2. Moral. c. 14. à n. 31. Sed not. posse quæri de hæreditate acquirenda, vel jam acquisita. In simili quæstione de confiscatione bonorum, respondet Zoësius h. t. n. 15. hæreticum, cujus bona ipso jure publicata (hoc est, ob id delictum in publicum ararium devoluta) sunt, ante sententiam Judicis posse illa possidere, ac retinere, sed secuta sententiâ teneri, patiorum ablationem, quin obligetur ipse deferre ad fiscum, cum sit nimis durum, quem cogere in se exercere pœnam positivam, ut rebus acquisitis se exuat. Aliud est de pœna, quæ impedit ab acquirendo. Hinc

Ad nostrum casum R. probabilius esse, 670  
dictam

S 3

dictam incapacitatem ante sententiam non incurri ipso jure sic, ut hæreticus hæreditatem sibi delatam teneatur ipse restituere hæredibus, vel fisco propter rationem prius insinuatam; post sententiam tamen, tenet eorum omnium ablationem pati, ut dictum est; si autem nondum adita sit, teneri non adire; quia tunc caret omni titulo, etiam possessionis. Ita Sanchez. l. 2. c. 14. à n. 3 r. Lessius l. 2. Just. c. 10. n. 52. Et ideo hæreditas, vel legatum hæretico relictum confiscari non debet ante Judicis sententiam, sed relinqui hæredibus ab intestato, vel aliis hæredi scripto, nisi testator, vel legans sciverit, esse hæreticum; nam tunc hæreditas, vel legatum hæretico scienter relictum, in poenam hujus delicti, sed non nisi post sententiam, cedit fisco. Episcopus autem, qui scienter aliquid relinquit etiam consanguineo non Catholico, saltem post mortem excommunicari debet (intelligè declarativè) c. *si quis*. 5. h. t. quia talis reddit se suspectum de hæresi, teste Menoch. l. præsumpt. 6. n. 33. & ideo extenditur ad omnes fideles per c. 6. eod. excipe causam pietatis ad sublevandas eorum necessitates.

## §. 7.

## De reliquis hæreticorum penis.

671 Inter alias poenas, quibus afficiuntur hæretici, est i. amissio patriæ potestatis in filios, ita, ut statim ante omnem sententiam Judicis declaratoriam criminis filii efficiantur sui juris, & eximantur à patriæ potestate per c. 2. §. *ult. h. t.* in 6. ibi: cum dignum sit, ut propter tanti atrocitatem criminis, filii in parentum hæreticorum desierint esse potestate.

672 Secunda est amissio potestatis domini in servos, vassallos, & juris, quod habent in alios quocunque vinculo personali obligatos, per c. *Absolutos*, fin. h. t. ibi: *absolutos se noverint à debito fidelitatis, dominii, & rōtius obsequii, quicunque lapsis manifestè in hæresim, aliquo pacto, quacunque firmitate valato tenebantur adstricti*; quod etiam procedit de omnibus debitoribus hæretici, eique obligatis, ita, ut contra eos amplius agere, vel debitum exigere non possint, per cit. c. cit. fin. & hoc procedit, etsi resipiscant ab hæresi. Nam obligatio semel extincta non reviviscit, per c. *Queris* 129. dist. 4. de consecr. junct. gloss. V. *Contrabatur*, & L. *Qui res suas* 98. §. *Aream* ff. de solut.

Tertia est degradatio, & traditio seculari Judici, si Clericus in hæresi manifestè deprehensus sit, nisi statim, post deprehensionem erroris, ad unitatem fidei Catholice spontè redierit; & publicè abjuratà hæresi, ad arbitrium Episcopi loci satisfecerit; si autem Laicus, secularis Judicis arbitrio relinquatur, c. *Ad abolendam*, 9. §. *præsenti*, h. t. quâ autem formâ realiter degradandus sit, præscribitur in c. *quoniam* 1. eod. in 6.

Pœna porro, quæ redeuntibus ab hæresi imponi potest, est carcer perpetuus, c. *Excommunicamus* 15. §. *Si qui* h. t. vel etiam poena pecuniaria in pios usus applicanda. gloss. in Clem. 2. h. t. V. *illicitis*; quod tamen intellige, solum de iis hæreticis, qui hæresim, & errorem suum primum fatentur, postquam vel jam condemnati sunt de tali crimine, vel post publicationem testium; prius enim non dicuntur propriè manifestè deprehensi in hæresi. Si autem sint impenitentes, & in hæresi pertinaciter persistant, statuitur in eos pœna mortis per. L. 5. §. *Manichæus*; & L. 8. C. de hærec. Tales enim sunt perturbatores pacis, & tranquillitatis publicæ; & quidem per ignem, ut vivi comburantur, præsertim, si hæresarchæ sint, teste Farinac. cit. q. 189. n. 5. Si autem sit Clericus, post degradationem traditur potestati seculari, per c. *ad abolendum* q. 3. §. *præsenti*, & c. *Excommunicamus* 13. §. *damnati* h. t. cum efficaci intercessione, ut Judex secularis citra mortis periculum moderetur sententiam circa illum, ex c. *Ne vivus* 27. de verb. signif. & c. *Reos* 23. q. 5.

## §. 8.

## Quæ pœna statuta sint filiis hæreticorum.

675 Prima est, quod, etiamsi sint Catholici, propter Patris hæresim priventur hæreditate, & omnibus bonis paternis, per c. *Vergentis* 10. h. t. c. *penult.* eod. in 6. & aurent. *Gazaros*, C. eod. sive sint legitimi, sive illegitimi. Sanchez l. 2. moral. c. 27. ne plus favoris habeant Spurii per luxuriam geniti. Idem tenet propter hæresim Matris, quoad materna; & tangit omnes descendentes per lineam sive paternam, sive maternam; si tamen parentes poeniteant, paternam bona filiis Catholicis ex misericordia redduntur, ut dictum est à n. 662. dixi omnibus bonis paternis; nam de his loquuntur jura; non autem de bonis ipsis obvenientibus

tibus ab aliis Catholicis, ut notat Sanchez cit. c. 29. n. 13.

676 Secunda poena filiorum (quorum parentes sunt hæretici) est irregularitas, de qua jam dictum est à n. 646. juxta c. 2. §. hæretici h. t. in 6. juncto c. statutum 15. eod. in 6. Tertia est, quòd Clerici, qui sunt hæreticorum filii, propter paternam hæresin, priventur dignitatibus, beneficiis Ecclesiasticis, si quæ habent, & quibuscunque publicis officiis, ac dignitatibus, per c. ut commisso 12. §. privands, eod. in 6. Quarta est, quòd filii hæreticorum per lineam paternam, usque ad secundum; & maternam, ad primum gradum inclusivè ad beneficium Ecclesiasticum, vel officium publicum non admittantur, & admissio irrita sit per cit. c. Statutum, intellige, de filiis hæreticorum, qui non sunt emendati, vel denuò relapsi, ut dicitur ibid. §. hoc sanè; & de beneficiis obtentis post, non autem ante lapsum parentum, ut denotatur ex verbis: non admittantur, de quibus V. Sanchez cit. c. 27. & 28.

§. 9.

De relapsis in hæresim, ac eorum poenis.

677 Relapsi in hæresim, significatione juridicâ, alii sunt tales verè, ac propriè; alii solum fictè ex juris præsumptione. Verè relapsi sunt, qui postquam in judicio hæresim confessi, vel plenè ac legitimè de illa convicti, eam abjurarunt, ac jurejurando damnarunt, & execrati sunt, sic in eam rursum inciderunt, ut de illa legitimè convicti, vel confessi sint in judicio. Sic Azor p. 1. l. 8. c. 14. à q. 1. & ex illo Pereyra in Elucidario à n. 543. Fictè relapsi dicuntur tripliciter 1. si, postquam accusati, vel suspecti de hæresi propter vehementem ejus suspicionem, illi in judicio cum juramento penitus renuntiarunt, in eandem sunt relapsi, licet hoc plenè probatum non sit, c. accusatus s. h. t. 2. si quis, postquam convictus est de una specie, vel secta hæresis, hæresim simpliciter & generaliter, seu universaliter abjuravit, rursum in eandem, vel aliam sectam incidit, c. accusatus, §. cum verò, h. t. in 6. 3. qui hæreticos recipit, deducit, visitat, vel sibi associat, aut favores impendit, postquam de illius lapsu in hæresim constat, ac illam abjuravit, jure præsumitur in eandem relapsus, c. accusatus, §. Ille verò, h. t. in 6.

678 De his in c. ad abolendam, 9. §. illos quo-

que h. t. statutum est, ut ejusmodi relapsi tradantur seculari judicio, sinè ulla penitus audientia, seu nullâ eorum excusatione admittâ. Sic Hostiensis hic V. Sine ulla audientia, & V. recidisse; quod etiam habetur c. super eo 4. eod. in 6. quanquam, si verè poeniteant, eis Sacramentum poenitentia, & Eucharistia, non negetur.

§. 10.

De credentibus, receptatoribus, defensoribus, & fautoribus hæreticorum.

HI uno vocabulo dicuntur Complices 679 hæreticorum, nempe socii in crimine hæresis, ut colligi potest ex c. quicumque, de hæret. c. accusatus, c. ut officium, eod. in 6. Et quatuor nominibus appellantur Credentes, Receptatores, Defensores, Fautores, de quibus Sanchez l. 2. in decal. c. 10. Azor cit. p. 1. l. 8. c. 15. Suarez de fide d. 24. sect. 1. & c. quibus positus:

Quæres 1. quid intelligatur hic per e- 680 jusmodi Complices per Ordinem ad poenas in eos statutas? R. per Credentes intelligi eos, ut loquitur Pereyra in Elucidar. n. 545. qui non credunt explicitè, sed confusè: seu nullâ speciali hæresi sunt infecti, sed verbis tamen, vel factis id profitentur, se credere, quod hæretici credunt. Veluti, qui verbo, vel factò declarat, se cum Lutheranis, aut Calvinistis sentire. Hi, ut excommunicationem incurrant, debent fidem habitam hæreticorum erroribus, verbo, aut signo aliquo manifestare. Receptator, seu Receptor in jure civili appellatur, qui clam excipit, & celat aliquem, ut manus judicis evadat L. 1. ff. de receptat. & L. congruit, ff. de offic. præf. At jus canonicum receptatores hæreticorum eos intelligit, qui hæreticos excipiunt alicubi, sive sæpius, sive semel tantum, sive publicè, sive occultè: dummodo tamen eos scienter recipiant.

Defensores dicuntur, qui modo aliquo, 681 vel arte tuentur hæreticos quâ tales, sive in judicio, sive extra illud, ut tutò vivant: ac proinde sunt, qui quomodolibet impediunt capturam hæreticorum, condemnationem, animadversionem, supplicium, ac poenam. Unde debent esse defensores in causa hæresis, vel in quacunque alia, dummodo suscipiatur defensio animo favendi hæresi. Fautores (teste Sanchez cit. n. 11.) dicuntur, qui quovis modo opem præstant hæreticis, quâ talibus in sua hæresi tuenda, &

& docenda: quam opem præstare solent omissione, vel commissione. *Omissione* favent, quicumque ministri sive Prælati, vel Inquisitores, sive familiares, qui negligunt facere contra hæreticos, quod iure sui officii debent; inter quos non numerantur, qui favent suspectis in fide, illis nempe, qui in suspensionem suæ fidei per sola indicia veniunt; quales sunt perseverantes in excommunicatione per annum, facientes pactum cum dæmone, & alii. *Commissione* favere dicitur, quæcunque persona, sive publica, sive privata, quæ hæreticum quæ talem, excusat, laudat, consilio, aut ope intendit liberare à supplicio, vilitat, alit, vel abscondit, aut beneficium aliud in eam confert. Quod intelligitur etiam de eo, qui favet hæretico mortuo.

682 Inter actus, quibus aliqui notantur tanquam *credentes* hæreticis, sunt, si qui in infirmitate consolationem ab hæreticis petierunt, & receperunt per manus impositionem, ut dicitur c. *Flis* h. t. in 6. junct. gloss. *V. in supponendo*; vel si bis, aut ter conciones hæreticorum audiunt, qui saltem in foro externo habentur pro credentibus, saltem in illis locis, ubi Catholici cum hæreticis permixti non vivunt. Sic Azor. cit. Inter receptores numerantur illi, qui hæreticos recipiunt, ne in manus Judicum veniant. Sic Azor. cit. q. 2. modò id *scienter* faciant; & quamvis hæc receptio fiat, non titulo hæresis, sed v.g. consanguinitatis, vel similis conjunctionis, adhuc tales poenæ subjacent, mitiori tamen, ut observat Farinac. in tract. de hæresi, q. 182. n. 143. In foro externo (consequenter per ordinem ad ejus poenas) dupliciter quis censetur defensor eorum, 1. si eorum errores argumentis, & rationibus alatis tueatur, & contraria dissolvere laboret verbo, scilicet scripto, c. *qui aliorum*. 24. q. 3. deinde si personas eorum propter hæresim defendat, ne denuntientur, accusentur, ad Judicem deferantur. Sic Azor. q. 6.

683 Quæres 2. quid sit propositio, quæ meretur censuram propositionis *erroneæ*, *hæresi proxima*? R. hoc explicari à Francisco de Verde in Anacaphaleosi propositionum prohibitarum, qui in procem. n. 7. propositionem *erroneam* vocat illam, quæ opponitur veritati Theologicæ, scilicet deductæ ex præmissis, unâ de fide, alterâ naturali. Et quamvis Thomistæ talem propositionem vocent *non erroneam*, sed *periculosam*, *suspectam*, & *errori proximam*; hæc tamen

explicatio, ait Verde, laxissima est. Ex hac definitione propositionis *erroneæ* deducit Cardenas in Crisi Theol. tr. 1. de Probabil. D. 9. c. 3. à n. 89. *omnem propositionem, quæ est de contrario objecto conclusionis Theologicæ, deductæ legitime*, ex una de fide, & altera naturali, ac evidenti, *esse erroneam*; quod quidè verum est, si velit eam *esse falsam*; non autem, si eam velit esse *determinatè* oppositam præmissæ de fide, sive alteri naturali evidenti, quia hoc, cui opponitur, est certum vel certitudine fidei, vel naturali; *non autem determinatè oppositam fidei*; quia negans conclusionem legitime deductam ex duabus præmissis, non eo ipso negat *utramque*; nec ex vi negatæ conclusionis, unam determinatè, sed vel hanc, vel illam. Unde, qui negaret conclusionem Theologicam, *determinatè negando præmissam naturalem evidenterem* (quod à fortiori procedit, si esset evidens solum moraliter) non esset hæreticus in vi sic negatæ conclusionis.

Propositio, *quæ sapit hæresim*, vel ei 684 *proxima*, dicitur, quæ indicat animum infidelem, ut, si quis dicat: *Christum Dominum inutiliter in processibus cum tanta pompa circumferri*. Sapit enim indicium, quod, eam propositionem proferens, non credat Christum in hostia. Sic Arriaga, Canus, Bannez, Sera, quos citat, & sequitur Verde n. 9. *Suspecta de hæresi* vocatur, quæ continet sensum Catholicum, sed ratione personæ, loci, temporis inducit suspensionem hæresis, ut hæc ab hæretico, vel alio vacillante, dicta: *fides justificat*. Sic ille n. 10. *Errori proxima* dicitur, quæ contradicit conclusioni Theologicæ legitime deductæ, cum evidentia de bonitate illationis, sic tamen, ut præmissa de fide, vel altera evidens non ab omnibus approbetur ut talis. Sic Cardenas in tract. ad propos. damnatas ab Innocent. XI. dissert. 1. n. 137. ex Card. de Lugo D. 20. de fide, sect. 3. n. 84. *Malè sonans* dicitur, quæ habet sensum æquivocum, continentem scilicet veritatem, & hæresim, sic, ut frequentius secundum sensum hæreticum accipiatur, ut hæc: *Deus non est in celo*. Si enim verbum *est* idem significat, ac *comedit*, verum habet; si idem, ac *existit*, falsum. Ita Suar. & alii apud Verde. n. 10.

*Scandalosa* vocatur, quæ inducit ad peccandum, vel ejus occasionem. ita S. Thom. apud eundem n. 11. Hinc etiam talis est, quæ docet aliquid, quod præbet aliis occasionem

castionem ruinæ Spiritualis. Ita Suarez. D. 19. de Fide sect. 2. n. 19. Castropal. p. 1. tr. 4. d. 3. p. 1. n. 8. quos refert, & sequitur Cardenas cit. D. 9. c. 20. n. 358. *Temeraria*, quæ vel caret omni ratione, vel ratione tantum futili nititur. Cardenas autem cit. n. 87. dicit *temerariam*, quæ est contra sententiam omnium Doctorum, oppositum pro certa affirmantium, & caret prudenti fundamento. *Piarum aurium offensiva*, seu *impia* quæ aliquid indecens in materia pietatis præ se fert, ut hæc: *Christus quotidie peccat. Schismatica*, quæ tollit unitatem Ecclesiæ, avertendo subditos à superiore, vel e contra. Sic Verde cit. à n. 12.

686 Præter hoc nota, esse discrimen inter propositionem *damnatam*, & *antiquatam*: illa est, quam expressè damnat Pontifex Romanus per verbum *damnamus*, vel æquivalens; ista, quæ licet non reperiat damnata expressè, & formaliter; antiquitus tamen probabilis habebatur, nunc autem est incompossibilis cum principio certo denuò invento. Sic Cardenas cit. differt. 1. n. 264. Sed notandum, ut aliqua propositio in sensu, quo Cardenas propositionem *antiquatam* explicat, dicatur expuncta è numero probabilitium, titulo incompossibilitatis cum principio certo noviter invento, requiri, quòd *incompossibilis certa sit*.

Hujus ratio est; quia cum illa incompossibilitas cum Principio certo non habeatur ex principio nisi quodam universalis, aut necessario; si ejus applicatio ad particulare, de quo concluditur, *certa non sit*; nec antiquatio certa erit, certitudine principii, cui contraponitur, nisi juxta gradum certitudinis, quem habet complexio terminorum in præmissis, ex qua deducitur conclusio, quam vi ejus principii dicit antiquatam. Sic, etsi certum sit, *omnem currentem moveri*, si incertum sit, *Petrum currere*; incertum erit, *Petrum moveri*; ergo etiam, si unius propositionis oppositio, cum alia certa, sit solum probabilis, vel incerta, malè dicitur antiquata; hoc est, lapsa de statu probabilitatis prius habita.

687 Præter hæc not. 1. ut aliqua propositio sit *hæretica*, requiri, quòd habeat omnimodam contrarietatem cum objecto fidei, hoc est, quòd neget objectum in se, & expressè à Deo *revelatum*, cum enim propositio fidei niti debeat revelationi divinæ, propositio illi contraria negare hoc fundamentum debet. Ita Suarez de fide D. 19.

Tom. V.

S. 2. & alii. Not. 2. propositionem, quæ negat aliquid solum *virtualiter revelatum*, nimirum in causa, vel quasi causa v.g. *Christum esse risibilem*, non esse *hæreticam* formaliter, & immediate; sed esse *erroneam*, prout hæc differt ab hæretica; quia non præsumeretur negare naturalem evidentem; & ideo dicens, aut tenens eam, puniretur tanquam hæreticus. Not. 3. errorem posse committi etiam in ipsa censura aliarum propositionum. Quare si propositionem aliquam de fide, vel Theologicam, vel passim receptam à Doctoribus, dicas esse *erroneam, falsam, scandalosam, temerariam &c.* tùm talis non sit, *censura tua erronea erit, scandalosa &c.* Et ideo qui sententiam aliquam, quæ ut probabilis recepta in scholis est, *sine fundamento evidenti* afficeret censurâ, vel notâ *improbabilitatis*, temerarius existeret; ita in terminis Castropalaus p. 1. tr. 4. D. 3. p. 1. n. 9. his præmissis.

### ARTICULUS III.

De processu judiciario in crimine hæresis.

NON agimus hîc de inquisitoribus fidei, 688 & eorum officiis, ac potestate, quibus à Sede Apostolica munus inquirendi, & animadvertendi in hæreticos, est commissum, ac ob id *Sedis Apostolicæ Inquisitores* dicuntur. Nam horum munus hodie præstant Episcopi in Provinciis, in quibus illi Sedis Apostolicæ inquisitores, speciali auctoritate Pontificis, non sunt constituti, ut in Germania, Gallia, Polonia, &c. de quibus Azor p. 1. l. 8. c. 18. q. 2. Agemus igitur solum de aliis Judicibus, & judicio, secundum quod ab ordinariis exerceri solet contra hæreticos.

S. I.

An quilibet judex Ecclesiasticus sit judex competens in crimine hæresis?

SUMMUM Pontificem esse Judicem com- 689 petentem in causâ hujus criminis, quando quæritur, *an aliquod dogma sit, vel non sit hæresis?* certum est. Idem tenent communiter de Legato à latere, spectato jure communi; de consuetudine tamen, non solet se in ejusmodi causis sine speciali commissione Pontificis, vel supremi Tribunalis S. Inquisitionis ingerere; ita Farinacius tr. de hæresi q. 186. §. 1. n. 4. Post hos, Episcopus est Ordinarius Judex omnium hæretico-

T

rum

rum suæ diocesis, sive Clerici sint, sive Laici, constat ex Clem. 1. §. *propter quod*, h. t. ibi: *per diocesanos Episcopos; quia ad ipsos spectat hæreses extirpare, & bonum fidei promovere*. Circa istam juris dispositionem not. 1. hanc potestatem Episcoporum extendi etiam ad exemptos, & soli Sedis Apostolicæ potestati subiectos, ut eis isti super hoc tanquam Sedis Apostolicæ delegatis obsequantur, ut dicitur in c. *Ad abolendam* §. *fin.* h. t. ibi: *si qui verò fuerint, qui à lege diocesana jurisdictionis exempti, soli subjaceant Sedis Apostolicæ potestati, nihilominus in his, quæ sunt contra hæreticos instituta, Episcoporum subeant iudicium, & eis in hac parte, tanquam Sedis Apostolicæ Legatis, non obstantibus suæ libertatis privilegiis, obsequantur*, sic etiam gloss. ibid. in casu; & Farinacius cit. n. 7. Sed

690 Quæres 1. an hæc potestas Ordinarium, relatè ad exemptos, sit ordinaria, vel solum delegata? R. stando in rigore, ac proprietate potestatis ordinaria, videri potius ordinariam. Nam hæc est quæ competit alicui non ratione personæ, sed muneris, quod gerit; consequenter transit ad successorem in tali munere; illa verò potestas Episcopis competit ratione muneris, & dignitatis Episcopalis, & transit ad successores. Sic Hostiensis in cit. c. *Ad abolendam*. n. 13. Verum, etsi hæc ratio bene probet, dictam potestatem, etiam quoad exemptos, esse privilegio ordinariam (cum non competat ratione personæ, sed dignitatis) non est tamen pure ordinaria, sed absolute delegata. Nam quoad appellacionem sortitur naturam jurisdictionis delegatæ; quia à sententia interlocutoria Episcopi non appellatur ad Archiepiscopum; sed ad Papam delegantem; quod tamen non esset, si omnimodo foret ordinaria. Sic Castropalaus p. 1. tr. 4. D. 8. p. 12. §. 1. n. 2. & alii ibidem relati. Et confirmari potest ex dicendis infra, n. 692.

691 Quæres 2. quem modum procedendi servare debeat Episcopus in causa hæresis? R. in c. *Per hoc* §. *fin.* de hæreticis in 6. sive ordinariâ, sive delegatâ potestate procedat, illum in procedendo modum debere observare, quem Inquisitores possunt, & debent, vel per jura communia, vel per speciales Sedis Apostolicæ observationes. Sic Farinac. cit. q. 186. n. 16. & alii. De modo autem procedendi inquisitorum V. cit. c. *Per hoc*. Hinc si quæras 3. an in causa fidei Episcopus possit procedere absque consilio sui

Capituli? R. spectato jure scripto non potest; nam in cit. c. *ad abolendam* expressè dicitur: *ut faciat cum consilio Clericorum*: de consuetudine tamen, aliud jam esse testatur Farinac. cit. à n. 14. Castropal. cit. n. 4. Pirhing h. t. n. 124. & alii.

Quæres 4. an Capitulum, sede vacante, habeat potestatem ordinariam in causa hæresis? R. habere respectu subditorum; constat ex c. *Ad abolendam*, ibi: *vel Clerici ipsi Sede vacante*. Dixi respectu subditorum. Nam, an etiam respectu exemptorum? in controversia est inter Doctores; affirmativam sequuntur Marian: Socin. in cit. c. *Ad abolendam*, n. 44. Zabarella in Clem. 1. de hæretic. §. *dura* q. 8. n. 60. Probabilius tamen est oppositum. Nam Capitulum, sede vacante non succedit, nisi in his, quæ jure ordinario. non quæ jure delegationis, & privilegio competunt Episcopo; at jurisdictione in causa fidei contra exemptos Episcopo competit, jure delegationis & privilegio, non ordinario simpliciter, ut docet Abbas in cit. c. *Ad abolendam* n. 17. & alii. Nec obstat, quòd dicatur potestas ordinaria, saltem privilegio; hoc ipsum enim habet jure delegationis, & extraordinario. Confirmari potest ex Tridentino sess. 24. de reform. c. 6. ubi Vicariis Episcoporum negatur potestas cognoscendi causas fidei, nisi ad id specialiter deputentur; cum tamen aliàs in potestate jurisdictionis jure ordinario competentis Episcopo, idem possint, ac idem tribunal sit; id, quod etiam procedit de Vicario Capituli Sede vacante. Imola in Clem. 1. de hæret. n. 19. Barbosa. p. 3. de potestate Episcopi, allegat. 54. n. 85. Capitulum autem in casu, quo sede vacante exercet jurisdictionem suam contra hæreticos in causa fidei, non debet illam exercere per se, sed per suum Vicarium, ex Clem. 1. §. *propter*. de hæretic. An autem talis Vicarius debeat exigere consilium vicinorum Episcoporum? censet Castropalaus cit. n. 7. non requiri, nec esse in usu; nisi id aliqua specialis ratio in particulari casu exigeret.

§. 2.

*An in causa hæresis Judex secularis sit competens?*

Communis doctrina est, quòd Judex secularis in cognitionem hujus criminis nullâ ratione vel directè vel indirectè se intromittere possit. Cõstat ex c. *Ut inquisitionis*, de hæret. in 6. ibi: *prohibemus, ne ipsi* (sc. Laici) de

de hoc crimine (cum merè sit Ecclesiasticum) quoquo modo cognoscant, vel judicent. Ea enim verba: quoquo modo, excludunt omnem cognitionem etiam incidentem, ut notat gloss. ibid. V. eodem, & alii. Et quoniam in eodem c. etiam dicitur, ut Laici Reos, a Judice Ecclesiastico ad exequendam in illis sententiam brachio seculari traditos, indilate recipiant animadversione debitâ puniendos; sequitur, quòd non possint examinare causas, & processum super illis habitum, qui ipsis ad executionem poenae traduntur; hoc enim prohibent verba: ne quoquo modo eas causas cognoscant, & præcipitur, ut indilate eos recipiant, ac puniant. Sic Molin. tr. 5. de Just. D. 28 n. 16.

694 Ex his sequitur 1. quòd Princeps secularis non possit statuta condere, de modo puniendi crimen hæresis, qui aliquâ ratione contrarius sit legibus Ecclesiasticis; secus, si augeant, & promoveant modum procedendi Ecclesiæ. Nam talia statuta forent super crimine merè Ecclesiastico, de quo spectat ad solum Judicem Ecclesiasticum; & si legi Ecclesiæ contraria forent, jam alioquo modo, agerent contra decretalem in cit. c. Ut inquisitionis.

695 Sequitur 2. ex eodem c. Judices seculares, qui aliquid contra constitutionem in dict. c. Ut inquisitionis agere præsumserint, excommunicatione innodari; & si in illa per annum steterint, tanquam hæreticos condemnandos esse. Ea porrò, quæ inibi præcipiuntur, sunt. 1. ne Statutis Canonis contra hæreticos obsistant; 2. ut in investigatione, & captura hæreticorum pareant; 3. ut à Judice Ecclesiastico sibi traditos, indilate recipiant, & puniant animadversione debitâ, remota quâlibet appellatione, vel proclamatione. 4. Ne Laici super hoc crimine cognoscant, delinquentes à carcere liberent, aut sententiam condemnatoriam retardent.

696 Dices: ergo Judex secularis, etiam sub poena excommunicationis, tenebitur exequi sententiam mortis contra hæreticum, de hæresi convictum, & condemnatum, etsi evidenter sciat, scientiâ privatâ, illum esse condemnatum falsis testibus; hoc autem dici non potest. Nam directè intentâ morte in poenam delicti, quo caret, afficere innocentem, cognitum ut talem, est contra jus naturæ. R. dupliciter fieri posse, quòd Executor sententiæ Ecclesiasticæ, in causâ hæresis lata contra aliquem, sciat

Tom. 7.

nullitatem sententiæ. 1. Per novum examen causæ; 2. aliunde, sine ulla illius causæ judiciali cognitione; quo posito, dicendum, esse probabilius, Executorem debere abstinere ab executione illius sententiæ, quam sine nova judiciali cognitione causæ, aliunde novit esse nullam v. g. quia falsis testibus fundata est. Ita Castropal. cit. p. 1. tr. 4. d. 8. p. 14. n. 7. & alii. Ratio est, quia punire, aut exequi poenam contra innocentem, evidenter cognitum ut talem, est contra jus naturæ præceptivum.

Dixi: si eum novit innocentem notitiâ evidenti, habitâ aliunde, quàm ex cognitione judiciali super processu nulliter concluso; secus enim est, si non aliunde, sed ex examine super delicto Rei, & processu Ecclesiastici Judicis notitiam haberet; cum enim hac viâ cognoscere sit Judici Laico graviter interdictum, consequenter notitia inde accepta non sit juridica, utpote jure reprobata, nequit quâ sic acquisita prævalere notitiâ Juridicâ, ex qua processit Judex Ecclesiasticus.

Illi porrò, qui sentiunt, Judicem secularem, quantumcunque noscat injustitiam, vel nullitatem sententiæ Judicis Ecclesiastici, non posse ab ejus executione abstinere, moventur ex his rationibus. 1. quia Judex Secularis procedens ex scientia, non ex actis, sed aliunde habitâ, procederet ex scientia privata contra publicam. 2. Quia in c. Pastoralis, §. quia verò, de offic. Judic. delegat. ad quæstionem: an Judex Ordinarius, cui executio sententiæ delegatur, possit executionem suspendere, si ipsam injustam cognoverit? Respondit Innocentius III. nos attendentes, quòd executio tantum, non cognitio demandetur, & cum ordinarius teneatur obsequi delegato, etsi sciat, sententiam illam injustam, exequi teneatur nihilominus eandem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat, ergo idem dicendum erit in casu nostro, cum Judici Laico executio tantum, non cognitio demandetur.

Verum R. ad objectionem 1. in n. 696. 699 concedendo talem executorem non posse procedere per scientiam publicam, cum apud ipsum acta non fuerint; nego quòd tali casu procedere non possit ex scientiâ privata; si enim hac non obstante procederet, eo ipso procederet ad executionem rei injustâ, qualis est, in poenam privare vitâ innocentem. Neque factum hoc honestati

T 2 stati

stari potest ex mandato sententiæ per scientiam publicam habitæ, quia evidenter novit, ut ponit casus, eam sententiam ex scientia publica fundari in errore, ac veritati contrariam esse. Sic Lessius l. 2. de Just. c. 29. d. 10. n. 83.

700 Ad 2. in n. 698. not. dupliciter considerari posse sententiam injustam. 1. *Si solum sit injusta in iis, quibus condemnatus cedere potest*: ut si est contra jus litigatoris v. g. si contra sententiam non appellavit; vel si in appellatione succubuit. 2. *Si sit contra jus, cui cedi non potest*, ut si sententia vitiosa sit ex objecto, vitio non cedibili per condemnatum, vel jus humanum; ut est, *in pœnam privare vitâ, innocentem*. Nam hoc illicitum est jure naturæ prohibitive, contra quod nihil potest jus humanum. Hanc distinctionem *sententia injusta*, agnovit gloss. in cit. c. *Pastoralis V. etsi sciat*, ubi ait: *nota, non semper obediendum esse Judici, si evidenter iniquum est mandatum ejus, sive contra jus; c. quod culpatur. 23. q. 1. Secus, si alias fuerit injustum, c. L. æterna. c. Cum Minister. 23. q. 5.* Nam si sententia lata est injusta, quia est contra jus litigatoris, cui hic cedere potest (ut si tempore debito, cum potuisset, non appellavit) executioni mandanda est; nam spontanea omisio appellationis turpitudinem purgat, quæ inerat sententiæ. *L. si ob turpem ff. de condiçt. ob turpem causam*; sic gloss. quibus positus:

701 *R. ad dictam object. in n. 699. textum illius c. procedere, quando sententia injusta est in iis, quibus cedere potest condemnatus; non autem secus. In hoc autem casu, de quo in præsentia agimus, ubi sententia in pœnam Reo decernit mortem, quem executor evidenter novit innocentem, non est casus de his, quibus cedere possit condemnatus; hic enim non est dominus vitæ suæ, ergo. Unde quando dicitur. Executor debet obedire mandato Judicis in exequenda sententia, quam tulit ex scientia publica, seu secundum allegata, & probata; R. quando evidenter novit mandatum esse injustum in his, quibus condemnatus cedere potest, transf. in his, quibus cedere non potest N. ratio patet ex dictis. Et ideo etiam, cum dicitur, Judex licet procedit ex sententia publica, etsi privatâ scientiâ evidenter sciat, allegatis subesse falsum, omnino negandum est; quia sententia publica, & juris humani dispositio, non potest honestare actum laborantem vitio contra jus naturale præceptum, vel*

prohibitivum, & procedentem ex errore evidenter cognito. At *sciens punire, quem quis evidenter scit innocentem in re, & solummodo nocentem ex allegationibus; quarum falsitas evidenter nota est Judici*, est vitium contra jus naturale prohibitivum, cui nihil contrarium statuere potest jus humanum; ergo.

S. 3.

*An, & quibus rebus probeatur crimen hæresis?*

PRÆter probationes, quæ admittuntur 702 in judicio contra alia delicta in probando crimine hæresis, admittuntur in testes omnes, præter inimicos capitales, & hoc in favorem fidei, prout expressè decisum est c. *In fidei favorem*, de hæreticis in 6. consequenter omnes, etiam jure positivo, *alias inhabiles*, ut excommunicati, criminosi, infames, socii criminum, ut habetur cit. c. *In fidei*, deinde perjuri, etiam nondum actâ pœnitentiâ super perjurio, c. *accusatus. S. Licet*, de hæret. in 6. Judæi contra Christianos Judaizantes, vel quoquo modo apostatantes à fide c. *Contra Christianos*, cod. in 6. hæreticus contra fidelem in causa fidei; cum in hoc casu contra eosdem admittatur infidelis. Item domestici, familiares, consanguinei, mulieres, &c. c. *Tanta*; c. *per tuus*, de simonia. Quando autem dicimus excludi *capitales inimicos*, intelligendum venit, secundum dicta à n. 24.

Not. autem 1. cum dicimus, admitti 703 etiam *perjuros*, solum intelligi de his, qui perjurium prius commiserunt in celanda veritate circa crimen hæresis; & postea Zelo fidei illam manifestare intendunt. Nam de hoc casu loquitur c. *Accusatus* cit. alias enim non levi periculo calumniæ fideles exponerentur, si omnes perjuri sine discrimine admitterentur. Sic Decianus in tract. crim. l. 5. c. 35. n. 14.

Not. 2. quando dicitur, admitti contra hoc crimen testes, *alias jure positivo etiam inhabiles*, intelligendum esse *ad probandum contra Reum*; non autem ipsi ad se purgandum. Nam dispositio juris, quæ est in favorem fidei, tendit in odium hæresis, & vitiorum fidei oppositorum; excipe, nisi defensio aliter haberi non posset. Non enim potest Reo negari remedium suæ defensionis. Sic Castropal. p. 1. tr. 4. D. 8. p. 7. S. 2. n. 8. V. infra n. 707.

Not.

705 Not. 3. hos testes admitti solum ad probationem delicti, non autem *circumstantias, nisi eas, que delictum inferunt*, qualis non est, esse baptizatum. 4. Admitti etiam, cum proceditur *via accusationis*, cum & hic modus procedendi tendat in favorem fidei; nec obstat in cit. c. *In fidei*, Pontificem dicere, ut in negotio *inquisitionis* hæreticæ pravitaris admittantur excommunicati &c. Nam negotium *inquisitionis* ibi *generaliter* accipitur pro investigatione veritatis per viam procedendi contra delicta *qualemcumque* etiam accusationis, vel denuntiationis. Sic Castropal. p. 1. tr. 4. D. 8. p. 15. §. 7. à num. 1.

706 Not. 5. illos testes admitti non solum in defectu aliarum probationum; sed etiam, cum adsunt nam c. *In fidei*, textus dicit, eos admittendos, *praesertim in defectu aliarum probationum*; ergo etiam, ubi adsunt; maxime tamen, & specialius, cum desunt. Nam hæ particula *praesertim, maxime*, denotant in omni casu admittendos esse, maxime in illo; *explicant enim casum minus dubitabilem, & implicent, seu supponunt magis dubitabilem*. Sic Barbosa de dictionibus V. *Praesertim* n. 4. & complures alii.

707 Not. 6. etiam in Rei favorem hoc casu admitti posse in testes, *licet non integros*, Rei familiares, domesticos, & consanguineos. Nullus enim textus est, eos omnino excludens, licet, quando pro Reo deponunt, praesumptio favoris, eorum depositionem ab integritate fidei diminuat. Nec enim videtur æquum, quemlibet obligatum esse probare innocentiam, seu causam per testes omni exceptione majores; & adversarium illos reprobare posse per testes diminutæ opinionis. Ita Castropal. cit. §. 2. n. 9. & apud illum complures alii; ubi §. 3. subjungit modum in examine testium observandum; & reliqua in iudicio criminali contra hæreticos.

708 Not. 7. in causa hæresis Judicem posse procedere summarie, simpliciter, & de plano absque advocatorum, ac iudiciorum strepitu, & figura, ut dicitur c. *Statuta* 2. h. t. in 6. ubi notand. ex Sanch. l. 6. *Consil. moral.* c. 3. d. 11. quod ista verba *simpliciter, & de plano, sine figura, & strepitu iudicii, absque ulla juris solemnitate* aliquando ponantur simul, aliquando *seorsim*. Procedere *sine figura iudicii, seu sine juris solemnitate*, est procedere non servata formâ iudicii indutâ per jus civile, sed tantum eâ, qua requi-

ritur jure naturali, & gentium. *Simpliciter procedere*, est procedere removendo dolosas, & malitiosas protestationes, & exceptiones, servando simplicitatem canonicam. *Sine strepitu iudicii* est procedere servatis tantum substantialibus, removendo clamorosam garrulitatem partium, Procuratorum, & Advocatorum, omnes cavillationes, dilationes, exceptiones frustratorias, & superfluum multitudinem testium, qua licet debita sint, sunt tamen accidentia alia. *De plano* procedere, dicunt aliqui, esse idem, ac procedere sine strepitu iudicii, sic, ut non teneatur Judex sedere pro tribunali; nec in foro, aut loco publico judicare; nec servare alia, qua sunt de levi solemnitate: alii dicunt, esse procedere cognoscendo, ac iudicando veritatem sine solemnitate juris, nec servato stylo iudiciorum. Ita Sanch. cit. cum D. Antonino 3. p. tit. 9. c. 5.

Not. 8. ex cit. c. *Statuta*, colligi, *Judicem posse* in iudicio contra hæreticum procedere dicto modo; non autem *teneri*, constat ex textu, ibi: *procedi possit simpliciter, &c. item posse excludi advocatum, vel Procuratorem*; ex eod. ibi: *absque advocatorum*; intellige, quando constat, Reum esse hæreticum; secus enim negaretur illi defensio jure natura debita, cum se defendere non potest, ubi delictum in ambiguo est.

Not. 9. si testibus, vel accusatoribus in causa hæresis intervenientibus impendret periculum à potentia eorum, quos accusant, vel contra quos deponunt, si publicentur eorum nomina, permitti Ecclesiastico Judici, quod non teneatur eorum nomina publicare, vel ostendere illis, contra quos deposuerunt; sed sufficere, si exhibeat aliis viris honestis, providis, & juris peritis eorum depositiones, totumque processum, ut dicitur cit. c. *Statuta* §. *habemus*.

Not. 10. in Clement. ad nostrum. 3. h. t. damnari tanquam *sectam abominabilem, sectam Beguardorum, & Beguinarum, commorantium in Allemannia, & octo eorum errores*, qui sunt sequentes: primo, quod *homo in vita presenti, tantum, & talem perfectionis gradum potest acquirere, quod redatur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valbit: nam (ut dicunt) si quis semper potest proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri*. Secundo, quod *jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus*.

rus: quia tunc sensualitas est ita perfecte Spiritui, & rationi subiecta, quod homo potest liberè corpori concedere, quicquid placet.

712 Tertiò, quod illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis, & Spiritu libertatis, non sunt humana subiecti obedientie; nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur, quia, ut asserunt, ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Quarto, quod homo potest ita finalem beatitudinem, secundum omnem gradum perfectionis in præfenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata. Quintò, quod qualibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloria ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum. Sexto, quod se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à se virtutes. Septimò, mulieris osculum (cum ad hoc natura non inclinet) est mortale peccatum: actus autè carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non est, maxime cum tentatur exercens. Octavò, quod in elevatione corporis JESU Christi, non debent assurgere, nec eadem reverentiam exhibere; asserentes, quod esset imperfectionis ejusdem, si à puritate, & altitudine sue contemplationis tantum descenderent, quod circa ministerium, seu Sacramentum Eucharistia, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.

713 Ad extremum nota, in Extravag. Vas Electionis 2. h. t. inter communes à Joanne XXII. damnatas esse tres propositiones Joannis de Poliacò, Doctoris Parisiensis, tanquam falsas, & erroneas, & à doctrina sacra devias. Sunt autem sequentes: Prima est, quod confessi Fratribus (scilicet Religiosis Mendicantibus) habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, teneantur eadem peccata iterum proprio sacerdoti confiteri. Secundo, quod stante decreto c. omnis utriusque sexus. 12. de poenit. & remiss. quod est desumptum ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. c. 21. Papa non potest facere, ut Parochiani non teneantur, omnia peccata sua, semel in anno, proprio sacerdoti, id est, Curato Parochiali confiteri. Tertia, quod nec Papa, nec Deus potest dare generalem potestatem, audiendi confessiones alicui, ita, ut confessus non teneatur eadem peccata iterum confiteri proprio Curato, seu Parocho.

#### ARTICULUS IV.

De libris hæreticorum.

714 CUM libri hæreticorum, ac infidelium non minus, ac conversatio cum illis

commune periculum perversionis afferant legentibus, & eos tractantibus, sollicita Mater Ecclesiæ multis omnino constitutionibus eorum impressionem, venditionem, emptionem, retentionem, lectionem sub gravibus poenis prohibuit, ut constabit ex sequentibus. Et quoniam certum omnino est, quidquid commune periculum animarum secum trahit, & in devium à salutis via ducit, ex natura rei pravum esse; non minus certum esse debet, usum eorum, quæ in hoc contendunt, æquè, ac ipsum ejusmodi finem, vitiosum, perniciosum, ac omnino pravum esse; consequenter ex natura rei illicitum, saltem comparatione eorum, qui vel sexu, vel fragilitate iudicii, & intellectus, eo communi periculo, facilius involvuntur; quibus politis:

S. I.

Sub qua poena fidelibus hæreticorum libri prohibiti sint in Bulla Cœna.

RESP. in Bulla Cœnæ Domini, clausulâ primâ sub poena excommunicationis Pontifici reservatæ, prohibitum esse, omnibus Christi fidelibus, ne hæreticorum libros, hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine autoritate Sedis Apostolicæ scienter legant, aut retineant, imprimant, seu quomodolibet defendant ex quavis causa, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore. Hanc prohibitionem extendit Sixtus IV. in sua constitutione ordine 21. in Bullar. sub poena excommunicationis sibi reservatæ ad libros Astrologiæ, seu de divinatione tractantes, quibus intenditur cognitio de futuris contingentibus liberis. Circa præsentem prohibitionem rectius intelligendam not. quod clausula Bullæ Cœnæ comprehendat libros hæreticorum, propriè raliū, quales sunt, qui à fide, per baptismum suscepta defecerunt. Ita Sanch. l. 2. in Decal. c. 10. n. 22. Farinac. de hæresi, q. 180. n. 10. Nam ea prohibitio est in odium, ac detestationem eorum, qui à vera fide semel suscepta defecerunt, etiamsi tales hæretici non sint ex vitandis, modo tales esse sciantur. Ita Sanch. cit. num. 24.

Hinc sequitur 1. sub prohibitione Bullæ Cœnæ non comprehendi libros infidelium, prout distincti sunt ab hæreticis propriè dictis. Ita Suarez tom. 5. D. 20. S. 2. n. 11. & sequitur ex prioris num. Sequitur 2. sub

sub prohibitionem Bullæ Cœnæ non comprehendendi *librum Authoris* Catholici licet comprehendat aliquos errores per ignorantiam Authoris insertos; quia sic absolute loquendo, non verificatur, quod sit *liber hæretici*, de quo loquitur Bulla Cœnæ. Ita Coninck. de fide D. 18. d. 11. n. 177. Sed

717 Quæres 1. an quis agat contra Bullam Cœnæ, legendo talem librum Authoris Catholici, cui simul adjuncta sunt *Scholia, & annotationes ab hæretico appositæ*? R. quod non; quia non verificatur ex hoc, quod legat *librum hæretici*, nisi textus notabiliter esset *minor Scholiis*. Tunc enim à potiori diceretur *liber commentatoris hæretici*. Ita Suar. cit. D. 21. S. 2. n. 11.

718 Quæres 2. an quis peccet contra Bullam Cœnæ, & excommunicationem contrahat, legendo *doctrinam hæretici*, in libro Authoris Catholici contentam de verbo ad verbum? R. negativè; quia sic non verificatur, quod legat *librum hæretici*, Azor. p. 1. l. 8. c. 16. q. 1. Sed quid, si quis talem librum legat, *ex pravo sine v. g. animo* discendi hæresim? R. peccare quidem, propter pravam intentionem, ut per se patet; non tamen fieri Reum poenæ in ea Bulla decretæ; quia hæc requirit actum externum *legentis librum hæreticum*, quod in præsentem non contingit. Ita Layman. l. 2. Summæ. tr. 1. cap. 15. num. 1.

719 Quæres 3. quid propriè veniat sub hac voce *liber hæretici*, prout cadit sub prohibitionem in Bulla Cœnæ? R. venire *quemlibet librum Authoris hæretici*, qui vel *hæresim continet*, vel *de Religione tractat*. Ita Castropal. p. 1. tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 7. Prima pars quoad authorem constat ex n. 715. quoad *materiam* verò ex eo, quia finis dictæ prohibitionis est, conservare puritatem doctrinæ, fidei Catholicæ; ac præservare fideles à periculo falsorum dogmatum contra illam.

720 Ex hoc coll. 1. *sub ea voce* comprehendendi librum Authoris hæretici, qui continet hæresim, vel tractat de Religione, sive impressus sit, sive manuscriptus. Tum quia scriptura non facit, quò minus sit *verè liber*; tum quia secus, facile eludi, ac enervari posset intentio Ecclesiæ. Ita cum communi Suarez cit. D. 20. S. 2. n. 10. Sanch. cit. l. 2. c. 10. n. 28. Coll. 2. etiam si liber Authoris hæretici contineat *unicam hæresim*, cadere sub dictam prohibitionem, licet totus in reliquis sit de materia profana; quia sic re-

verà est *liber Authoris hæretici continens hæresim*. Ita Castropal. cit. n. 7. Coll. 3. etiam si liber Authoris hæretici non tractet ex professo de hæresi, modò contineat *aliquam hæresim*, nihilominus cadere sub prohibitionem Bullæ; quia verum manet, quod sit *liber Authoris hæretici, continens hæresim*.

Sic Bonacin. D. 2. q. 5. p. 4. n. 19. Suarez cit. n. 16. & alii communiter cum Farinac. cit. q. 180. de hæres. n. 22. contra Graffis l. 4. decis. c. 18. n. 40. & 80. secus est, si tractet de Religione, sed non *ex professo*; nam prohibitio in n. 715. est disjunctiva, ut dicam num. seq. Dicitur autem liber *ex professo tractare de hæresi*, quando ejus argumentum est hæresis, ut notat Castropal. cit. n. 7. & *tractare de Religione*, interpretando scripturam, decidendo quæstiones Theologicas, de cultu Dei, & Sanctorum; disputando de statu Clericorum, & Monachorum &c. &c. sic Layman cit. n. 3. §. altera.

Coll. 4. librum Authoris hæretici, continens hæresim, manere sub Bullæ prohibitionem poenali, *licet hæresim ab illo expungas*; quia particularis expunctio non tollit communem prohibitionem. Ita Sanch. cit. c. 10. n. 25. requiritur tamen, quod liber *de Religione tractet ex professo*, ut vult Castropal. cit. n. 7. §. Neque, idque propter periculum, errores inducendi ab Authore hæretico. Coll. 5. non venire sub Bulla poenali prohibitionem libros hæreticorum, philosophicos, juridicos, medicos, historicos, poéticos, nullam hæresim continentes. Quia sic non verificatur, quod sit *liber hæretici, continens hæresim*, vel *ex professo tractans de Religione*. Ita Layman cit. n. 3. §. Altera. Coll. 6. non venire sub dicta prohibitionem librum Authoris hæretici, qui tractat de Religione, *solum obiter*, & non *ex professo*, modò non contineat hæresim; secus est, si *ex professo tractet* de Religione, licet certum sit, quod non contineat ullum errorem contra fidem Catholicam; sic Layman loc. cit.

722 Quæres 4. an excommunicationem Bullæ contrahat, qui *brevem scripturam*, v. g. *orationem, concionem, quæstionem*, vel *Epistolam* ab hæretico scriptam, qua vel *continet hæresim*, vel *ex professo tractat de Religione, scienter legit, imprimis, vel retinet*? affirmativam sequitur P. Suarez cit. D. 20. l. 2. n. 10. Farinac. cit. n. 30. Ugolin. de Censur. p. 2. n. 2. Barbos. p. 3. de potest. Episcop. allegat. 9. in fine, & alii. Negativam Sanchez cit.

cit. c. 10. n. 29. Bonacin. D. 2. de Genfur. q. 5. p. 4. n. 18. & alii.

723 Tota difficultas est, an, quando Bulla prohibet *librum hæretici*, sub ea voce *libri*, veniat quælibet scriptura, etiam brevis, continens hæresim, aut ex professo tractans de Religione? pro affirmativa faciunt sequentia 1. quia cum dispositio Bullæ sit in favorem fidei, & Religionis Catholicæ, est favorabilis, consequenter latæ interpretationis. 2. Quia in his est eadem ratio, & periculum perversionis. 3. Quia Congregatio Concilii declarans decretum de librorum editione latum, ait comprehendere eam prohibitionem *omnes annotationes, lectiones, conciones, disputationes, & tractatus ad effectum imprimendi*. 4. Quia quælibet pars libri hæretici cadit sub illam prohibitionem; at ejusmodi scripturæ sunt pars libri. 5. Quia cum in Bulla non taxetur quantitas ad constituendum librum requisita, quævis scriptura, saltem decem foliorum, *libri* nomine veniet. 6. Quia verbum *liber* ibi non apponitur *taxativè*, sed solum, quia hæresis frequentibus *libris* spargitur. Hæc sententia omnino videtur valde probabilis, & menti Pontificiæ conformior, quæ fuit omne periculum perversionis; ex quacunque hæreticorum scriptura proveniat, etiam modicâ, tollere; & ideo eam in praxi tenendam docet Castropal. cit. p. 10. §. 1. n. 5. sic tamen, ut & negativam probabilem censeat. Et ideo ad argumenta contraria respondetur.

724 Ad 1. in n. 723. negatur, eam dispositionem esse favorabilem, & non pœnalem. Non nego, quod ordinetur in favorem fidei; & defensionem fidelium, ex fine nimirum extrinseco intentum à Legislatore, qui favorem, & defensionem fidelium, mediante illa dispositione intendit; non autem ex fine intrinseco legis, seu dictæ dispositionis, quem directè, ac immediatè intendit, qui est, *fideles, etiam in fide firmos, sub gravi pœna, privare lectione librorum hæreticorum*. Lex autem, & dispositio non dicitur favorabilis, aut odiosa, vel pœnalis ab extrinseco fine Legislatoris; sed à fine legis, directè intento, ut, quando hic est favor dicatur favorabilis; si onus, & gravamen, odiosa, si pœnam, pœnalis. Cujus ratio est, ut rectè notat Castropalaus cit. n. 5. Quod si propterea lex esset favorabilis, quia ordinatur à suo Conditorè in alicujus favorem, quælibet lex, etiam imponens gravamina, onera, contributiones, imò & pœnas latronibus, & hominibus,

quantumcunque sceleratis, esset favorabilis, & latæ, ac benignæ interpretationis; omnis enim lex à suo conditore, ex natura potestatis legislativæ, ordinari debet in bonum commune, ac favorem Reipublicæ, pro qua conditur; hoc autem nemo concedit; ergo.

Secunda ratio in eod. n. 723. videtur 725 fati efficax pro intentione sententiæ affirmantis; quia revera, etiam per ejusmodi Scripturas, quantumvis modicas, fideles perversionis periculum, satis frequens subeunt; & hæretici degentes inter Catholicos, ubi hæreticorum libri non tolerantur, per absentes, in pervicacia sua roborantur: quamvis negantes dicant, ejusmodi scripturas, non venire sub verbis legis pœnalis, loquentis de *libris*.

Ad 3. in n. 723. n. concedi, quod Congregatio Concilii Tridentini sess. 4. in decreto de editione librorum, juxta mentem Concilii Lateran. declaraverit; nulli licere imprimere librum, vel annotationes, aut expositiones in S. Scripturam, sine recognitione, ac licentia Superiorum Ecclesiasticorum, multò minus sine nomine authoris; aut, alibi impressos temerè habere venales, etiam extensione factâ ad quascunque scripturas: sed solum eas, *quæ vulgantur sine dicta recognitione, & licentia Superiorum; aut sine nomine Authoris*: at ex hoc non probatur, etiam Bullam Cœnæ de his loqui. Declaratio enim loquitur de libris, etiam bonis, & Catholicorum; non autem Bulla, quæ loquitur solum de libris hæreticorum.

Ad 4. n. ma. esse veram de partibus 727 librorum, *qui sunt, vel fuerunt*; non autem, secus. Quare non sufficit, quod sit pars solum *apertudine*; quia prohibito toto, prohibentur quidem etiam partes ejus actuales, ut præfatio, dedicatio, quæ de facto cum aliis librum composuit; secus, quæ nunquam. Ad 5. concedo Scripturam decem foliorum dici librum; sed talis non est Scriptura quælibet; Ad 6. denique ibi *librum* exprimi, non causa frequentioris usus, sed quia *in libris* hæreses magis deducuntur, & quia subinde miscuntur aliis lectorum inescantibus, nec ita facilè cognoscuntur, consequenter majus periculum habent.

§. 2.

*Quæ actiones prohibita sint fidelibus circa libros hæreticorum?*

728 **L**oquimur de actionibus prohibitis tam in Bulla Coenæ, quàm aliis decretis Pontificum, & Conciliorum. Illæ autem sunt *lectio, reseratio, impressio, defensio, venditio, emptio, & asportatio, scienter facta*. Quare censuram non incurrit, qui talem actionem facit, ignorans librum esse hæreticum, vel poenaliter esse prohibitum; Ita Saarez sæpè cit. D. 20. f. 2. n. 17. Sanch. c. 10. à n. 38. etiam si sit ignorantia crassa, modò non sit conjuncta cum ingenti temeritate. Nam ubi *hoc fit*, præsumitur malitia, & scientia; seclusa verò temeritate non incurritur ex eo; quia quoties lex poenalis *scientiam* requirit, excusat ignorantia etiam crassa, ut docet Layman cit. n. 4. §. Tertia, cum Sanchez cit. c. 10. à n. 38. & L. 9. matr. D. 32. à n. 36.

729 Dices: si censuram non incurrit *scienter* legens librum hæreticum, sed ignorans ei lectioni annexam esse poenam censuræ; nec incurret impedimentum criminis, scienter committens tale crimen, sed ignorans ei annexam esse poenam impedimenti dirimentis; sed hæc sequela non admittitur; tum quia nititur *fundamentis debilibus*; tum quia *Authores optimos* violentè & contra sensum eorum pro societate laxioris sententiæ allegat, ut loquitur P. Jacobus Wex in Opusculo Canonico-Tridentino p. 2. controvers. 5. n. 5. ergo. Verùm, hoc non obstante, sequela valde rationabiliter admittitur; & judico sententiam, quæ admittit sequelam, immeritò vocari *laxiorem*, de quo pluribus egi lib. 4. decret. Nec rationes, quæ contra illam fiunt, sunt tales, *quæ debilitatem ejus ob oculos ponant*, ut loquitur citatus Author. Principalis enim ratio negandi sequelam, est, quòd juris inhabilitas ad matrimonium *ex delicto*, non sit *unicè & principaliter* poena, seu non sit *pœna præcisè*, quasi non adesset alia principalis ratio ejus impedimenti; quòd tamen requiritur, ut poena delicto, scienter commisso annexa, non incurrat ab ignorante, talem poenæ annexionem. Sed hæc ratio intentum nullatenus evincit. Fallit enim in multis. Excommunicatio non est *unicè* poena, non est poena *præcisè*, non est poena *principaliter*, quasi non adesset alia principalis ratio ejus separationis à communione fidelium,

Tom. V.

& reliquis effectibus, quos jure post se trahit; & tamen non incurritur ab ignorante, illam esse annexam delicto, scienter commisso; idem est de irregularitate ex delicto, de privatione juris petendi debitum post incestum cum consanguineo alterius conjugis.

Respondent. 1. non esse paritatem à 730 censuris. Nam licet hæc non sint *pœna præcisè, unicè, ac principaliter* sic, ut non adesset alia principalis ratio separationis à communione fidelium, & inhabilitatum, quas inducunt; habent tamen peculiare, quòd requiratur *singularis contumacia, & contemptus*, qui non committitur ab ignorante annexionem talis poenæ. Sed hæc responsio nihil salvat. Sic enim jam receditur ab assumpto principio in ratione, de qua in num. 729. nimirum, quòd, ut poena ignorata non incurrat, necesse sit, *quòd sit unicè, ac præcisè poena sic, ut non adsit alia ratio statuendi absque delicto prævio effectus censura*. Nam inhabilitas, quam inducit excommunicatio, statui potest in homicidas, quin fiat in odium delicti; sed solum ut remedium animæ in medicinam, vel aliis in terrorem; ergo in ejusmodi casu *censurarum* ratio statuendi ejusmodi inhabilitates, non est *unicè* delictum; & tamen non incurritur ab ignorante.

Secundò, cum dicis, *esse singulare in* 731 *censuris*, quòd delictum debeat esse conjunctum cum contumacia, & contemptu, qui non reperitur in ignorante poenam: quæro, quid significare velis per eam *singularem contumaciam, & contemptum*? an, delictum commissum etiam stante scientia comminationis poenæ ultra prohibitionem delicti factam à lege? v. g. *monitionis*, vel formaliter, vel æquivalenter *trina*? an, cum sola scientia de prohibitione delicti, & annexione poenæ, qualiter sit, ubi censura incurritur ipso facto, sine ulteriori monitione? sed neutrum relevat. Ratio est, quia negantes, *incurri poenam ab ignorante, illam esse annexam delicto*, paritatem à censuris desumptam ad alias poenas, non fundant in eo, quòd peculiare est censuris, quæ talibus, *in quantum censura, seu tales poenæ sunt speciali* constitutione juris positivi; sed, *in quantum poenæ sunt, & statuta lege poenali*, prout *lex poenalis* communis est cuilibet legi poenali, cujus natura est, *non statuere poenam delicto, nisi quatenus est transgressio legis poenalis, quæ talis*, hoc est, quatenus cum scientia

U

tia

tia poenæ annexæ committitur ejus transgressio: at à ratione, communi utrique, validè ducitur argumentum; ergo. Quòd autem hoc sit de ratione *legis poenalis*, consequenter, quòd nulla lex poenalis imponat poenam transgressoribus, nisi transgressio sit *transgressio legis poenalis, quæ talis*, constat ex alibi dictis; quia lex prohibens actum, & simul statuens poenam, *constituit novum jus, obligans ad poenam*, quod non explicat, *ut prohibens*, quia, si aliter imponeret poenam, æquali poenâ puniret inæqualia delicta, hoc est, delictum quod committeretur *sine omni contemptu comminationis poenæ, formaliter imputabili*, puniret poenâ æquè gravi, ac puniret, delictum commissum *cum contemptu comminationis poenæ, formaliter imputabili*, quod omnino repugnat justitiæ legis, quæ est de natura omnis justæ legis. Poena enim commensurari debet culpæ, ne illam excedat. ant. prob. quia *ignorans comminationem poenæ*, nullatenus eam contemnit *formaliter*; *sciens autem, & hoc non obstante peccans*, reverâ formaliter contemnit eam comminationem; ergo.

732 Ex hoc sequitur, in omni casu ad incurrendam poenam lege statutam transgressoribus, requiri ex natura rei aliquam contumaciam, & poenæ comminatæ contemptum formaliter imputabilem, quæ *contumacia generaliter* prærequisita sit ex natura rei ad incursum talis poenæ; quia secus lex illa poenalis non foret justa, ut dictum est; & quoniam hæc contumacia *generalis*, communis est censuris cum aliis poenis, quæ censuræ non sunt; rectè fieri argumentum à censuris ad alias poenas, *fundatum in ea ratione communi*.

733 Sequitur 2. non ideo præcisè censuras non incurri ab ignorante, censuram esse annexam suo delicto, quia non commisit illud *cum contumacia illa singulari*; quia nec incurreret illam, si abesset contumacia etiam generalis; cum hoc non possit statuere ulla lex poenalis, quæ talis, salvâ justitiâ, quæ est de natura cujuslibet legis poenalis; certè nullum hæctenus legi, qui afferret tam clara fundamenta, quorum vi, & claritate *ob oculos poneretur*, hoc est, clarè ostenderetur debilitas sententiæ, exigentis ad incursum poenæ legalis, *transgressionem legis poenalis*, hoc est, factam cum notitia de comminatione poenæ transgressoribus statuta. Sicut enim *ignorantia juris de prohibitione*, se habet ad contrahendam mali-

tiam, quam incurrit actus scienter commissus contra legem *prohibentem*; sic se habet *ignorantia juris de punitione* ad contrahendam poenam, quam incurrit actus scienter commissus contra legem *punitivam*.

Respondent. 2. esse discrimen inter 734 censuras, & alias poenas, v. g. inhabilitatem ad matrimonium, inductam ex crimine, quòd censuræ sint *principaliter poenæ*; & reliqua illis adjuncta, v. g. quòd sint *simul medicinales, quòd inhabiliterent*, &c. habere se solum *secundariò*; in irritatione matrimonii autem propter crimen, rationem *inhabilitatis*, communem aliis impedimentis dirimentibus, habere se *principaliter*; & rationem *poenæ* solum *secundariò*; adeoque ex eo, quod censuræ non incurrantur ab ignorante, non rectè argui ad alios casus, ubi ratio poenæ intenditur *secundariò*, & non *principaliter*, non valere argumentum. Sed nec ista responsio salvat. 1. qui nullatenus ostendit, cur inhabilitas ad beneficia, quam inducit excommunicatio, sit *principaliter poenæ*; & non *inhabilitas ad matrimonium*, quam inducit crimen conjugicidii, vel adulterii, licet utrumque annexum sit delicto jure positivo, non autem jure naturali. Scio quòd inhabilitas, nascens ex crimine, infligitur à jure non tantum ex fine puniendi delictum, sed etiam in securitatem vitæ conjugum, & fugam adulterii, sed etiam inhabilitas, nascens ab excommunicatione, infligitur à jure non tantum ex fine puniendi delictum, sed etiam in salutarem medicinam animæ, & fugam delictorum, aliosque fines; sed non ostenditur cur, cum utraque lex supponat delictum, *inhabilitas ad beneficia*, nascens ab excommunicatione, *principaliter sit ex fine* punitionis, & non *inhabilitas ad matrimonium* nascens ex crimine? hoc sanè rationes allatæ non ponunt ob oculos ita perspicuè, ut fundamenta opposita videantur debilia.

2. In quaestione, an aliqua lex sit *merè*, 735 seu *præcisè*, consequenter *principaliter poenalis*; vel an id, quod statuit, sit *principaliter intentum à lege*? communis regula docet, id colligendum ex fine intrinseco, seu per legem directè quaesito, & immediate intento à lege, non à legislatore, ut diximus n. 724. Nam *finis legis intrinsecus* non idem est *cum fine legislatoris*; sicut non idem est *finis artificis, & artis*, sumptæ pro actibus regu-

regulantibus; hujus enim finis intrinsecus, est opus factum juxta regulam artis; & relate ad artificem, non habet rationem finis, sed medii, ad lucrum, quod directe intendit artifex; id autem, quod est alicujus finis intrinsecus, respectu illius principaliter intentum est; ergo.

736 Hinc sequitur, quod, sicut opus non recte dicitur solum secundario, & non principaliter intentum a lege seu arte, sumpta pro actibus regulantibus ex eo, quod artifex illud ulterius ordinet ad alium finem arti extrinsecum: sic non recte dicatur, *punitio-nem*, seu *inhabilitationem persona in odium delicti commissi* (in quo formaliter consistit ratio poenae) solum secundario, & non principaliter intentam a lege, ex eo, quod legislator illam ulterius ordinet ad alium finem legi extrinsecum; at valde probabile est, quod sacri canones, statuentes, in poenam criminis, inhabilitatem criminis ad matrimonium, directe, ac immediate illam intendunt; licet legislatorem poenam ulterius ordinet in alios fines legi extrinsecos, ut in securitatem conjugum; alias nulla lex foret principaliter poenalis, aut odiosa, ut constat ex dicto. à n. 729. ergo.

737 Ad instantiam de *irregularitate ex delicto*, respondent: inter hanc, & impedimentum criminis, esse discrimen; illa enim est *pura poena*, vel saltem *principaliter talis*, ut esset discrimen inter irregularitatem ex delicto, & eam, quae incurritur citra omne delictum: impedimentum autem criminis non est principaliter in poenam criminis praesuppositi; sed tantum inhabilitas specialis, ceteris impedimentis matrimonii communis, quae ut incurrantur, non requirunt sui notitiam. Verum hoc totum est in quaestione, nec ullo juris textu, aut ratione probatur sic esse, quod dicitur. Totam enim quaestio est: unde habeatur, quod poena *inhabilitatis ad beneficia*, inducta per legem in odium delicti, sit *pure*, vel *principaliter poena*; & non poena *inhabilitatis ad matrimonium*, inducta per legem in odium criminis, cum in utroque casu dari possit inhabilitas ad Ordines, & matrimonium, etiam extra delictum, ut manifestum est in irregularitate citra culpam; & contrahentibus matrimonium sine forma Tridentini, ubi hoc viget. Accedit, quod lex aliquem praecise inhabilitans *ad aliquid citra culpam*; & inhabilitans *in odium delicti* ex fine intrinseco inter se differant; sed hic inhabi-

Tom. V.

litas per legem inducta in odium delicti, seu criminis ex fine intrinseco illius legis (consequenter *principaliter*) est poena; quod enim lex intendit ex fine suo intrinseco, est principaliter intentum.

Et ideo illa *inhabilitas ad matrimonium*, 738 inducta per legem in odium criminis, magis proprie dici potest *principaliter poena*, quam *affinitas ex delicto*; nam illa sic inducitur a lege statuente inhabilitatem ad matrimonium in odium criminis, ut secluso crimine, ac ea poenali lege, *delicti criminis* nullatenus essent inhabiles ex alia lege canonica de facto existente: at inhabilitas ad matrimonium, inducta per legem *inter affines* copulae fornicariae non est talis, ut *affines*, seclusa culpa copulae fornicariae, ac lege poenali, non essent inhabiles ad matrimonium ex alia lege canonica de facto existente, ut constat, cum actu detur lex inhabilitans affines ad matrimonium, qui tales sunt ex copula licita, & citra delictum. Idem est de irregularitate ex delicto. Non enim defunt, qui doceant, irregulares fieri ex homicidio v.g. non tantum injusto, sed etiam citra delictum, & quidem etiam extracatum, quo quis causa est mortis alterius, sine eo, quod autoritate publica exerceat operationem, ex qua sequitur, ut complures tenent, l. 5. decret. tit. 12. de homicidio, securo ex actione licita, sed cum defectu aliquo diligentiae ad cavendum adhibenda.

Pro reliquis nota r. negandum esse, 739 cum dicitur: a *cenfuris ad alias poenas*, quae cenfurae non sunt, nullum esse argumentum in hac quaestione. Ratio est ex n. 731. Nam in hoc casu argumentum a cenfuris ad alias poenas fundatur in ratione, quae communis est utrique, quod *nulla transgressio legis, quae poenalis est, inducat poenam talis legis, nisi sit transgressio legis poenalis, qua talis*, nimirum facta cum scientia annexae poenae. Not. 2. cum dicitur *cenfuras esse puras poenas* negandum esse, si attendatur finis legis, & *legislatores*; nam esto darem, esse *puras poenas, attento praecise fine legis*; quia tamen a legislatore ordinantur in alios fines, in medicinam animae, in vindictam, & aliis in exemplum, dici hoc sensu possunt, quod non sint *purae poenae*; hoc est, quod spectato utriusque fine, non sint *poenae tantum*. Et hac ratione nec impedimentum criminis est *pura poena*. At, si attendatur finis intrinsecus legis *praecise*, impedimentum criminis, seu

U 2

seu

seu criminoforum inhabilitans ad matrimonium, est pura poena, hoc est, poena tantum, seu in solam criminis punitionem, licet à legislatore ordinetur ulterius in alios fines, in securitatem vitæ conjugum, aliis in terrorem, &c. Sed hi fines legi sunt extrinseci; adeoque per num. 734. nullatenus principaliter intenti à lege.

740 Not. 3. probabilius dici, censuras esse puras poenas, etiamsi attendatur præcisè finis legis. Nam esto finis legis imponentis censuram non sit *unicè*, punire, sed etiam *vulnus animæ*, per ejusmodi medicinalem poenam sanare: quia tamen hic finis quæritur dependenter ab illo, & non nisi per punitionem, qui est finis legis immediatus, rectè dicitur punitionem intendi à lege principaliter, & primariò consequenter purè, hoc est, *non ex alio sine independente ab illo*. Et hoc totum longè magis reperitur in impedimento criminis. Not. 4. ex hoc, quod facti canones in toto titulo, *de eo, qui duxit* &c. loquentes de impedimento criminis, imò nec eorum interpretes, ullam faciant mentionem *de præhabenda notitia poena*, sed toti sint in exponendis aliis conditionibus, non rectè inferri: ergo, *ut incurratur, non prærequiritur notitia talis poena*. 1. Quia meritò poterant id supponere, cum ex natura rei sit, non incurri poenam, statutam à lege in poenam delicti, nisi à transgressoribus *talis legis*, non transgressione qualicunque; sed *transgressionis legis quæ poenalis*; at sic supponit notitiam poenæ; ergo.

741 Not. 5. non procedere argumentum desumptum ex Gobat tr. 9. n. 97. quo dicitur, *cetera impedimenta matrimonii contrahuntur absque tali notitia, eò, quod sint inhabilitates certæ; ergo idem dicendum de impedimento criminis*. Nam causalis antecedentis, *sic præcisè* prolata, negatur, & solum conceditur, si sint *inhabilitates certæ*, sed *non poenales*, nec statutæ in odium delicti; hoc autem sic nihil concludit de consequenti. Id, quod additur, exemptionem impedimenti criminis à ceteris matrimonii impedimentis nec suaderi à jure, nec ratione, nec autoritate sufficiente, gratis dicitur; nam jure sufficienter constat; poenas ignoratas non incurri, ut habetur c. 2. de confit. in 6. de quo textu Sanchez. eum allegans l. 9. matr. D. 32. n. 13. sic ait: *quòd illud decretum (cum animabus faveat, generaliterque de ignorantia loquatur) videatur ample interpretandum non de sola juris ignorantia,*

*sed etiam poena*. Ratio etiam suadet, ut constar ex n. 731. ne dicamus inæqualia delicta æqualiter puniri. Sed nec auctoritas Doctorum deficit, ut ostendi l. 4. decret.

Quòd autem impedimentum criminis <sup>742</sup> habeat rationem *poenæ*, non facile negari poterit, prout id ipsum agnoscit Sanchez. l. 7. matr. D. 5. n. 7. Haunold. tr. 1. de legibus n. 110. dicens: *hanc autem irrationem matrimonii* (nimirum ob conjugicidium, vel adulterium cum data fide matrimonii futuri,) *esse puram poenam, videtur mihi certum*. Idem tenet Castropal. & alii à me relati cit. l. 4. Unde non sincerè Haunoldi verba exponuntur, dicendo, ad impedimentum criminis incurrendum, prærequiri veram rationem delicti formalis, secundum se poenâ digni, non autem non adesse rationem specialis inhabilitatis, quam incurrat etiam is, qui ignorat tale impedimentum. Non enim video, quæ subsistat hæc expositio eorum verborum. Nam non tantum dicti Authores, sed ipsi etiam adversarii dicunt, *poenam legis ignoratam, non incurri, si sit pura poena*; at secundum Haunoldum impedimentum criminis *est pura poena*; ergo ignoratum juxta doctrinam ejus non incurritur. Nec ex eo, quod Haunoldus loco cit. dicat: *alia instantia esse possit irritatio matrimonii, contracti ab homicida, vel adultero cum complice ex intentione, vel promissione matrimonii, &c. talis enim contraheret impedimentum criminis, non obstante ignorantia legis irritantis*, rectè inferitur: ergo, dum ait eam irrationem esse *puram poenam*, non vult prærequiri ejus notitiam. Dato enim antecedente, nego consequentiam. Doctissimus Haunoldus bene novit, ut actus celebratus contra legem *præcisè irritantem*, ex inhabilitate subjecti nulliter fiat, non requiri notitiam irrationis per legem inductæ, *non in odium, & poenam delicti*; & ideo nec ad impedimentum criminis, *ex hoc præcisè titulo* incurrendum, prærequirit ejus notitiam; non autem *ex titulo irrationis poenalis*, & statutæ in odium, & poenam delicti.

Nec juvat, quod adducitur ex Sanchez. <sup>743</sup> l. 7. D. 40. n. 7. ubi generatim mentem suam de impedimentis matrimonii exprimens, apertè ait: *ad ea contrahenda non requiritur notitia*. Nam quid sequitur ex hoc dicto? dices: quòd nec ad impedimentum criminis incurrendum requiratur ejus notitia.

re. verissimum esse, non requiri ejus notitiam ex communi ratione impediendi *dirimentis*; nam hoc intendit Sanchez, sed non propterea esse verum, non requiri ejus notitiam ex speciali ratione impediendi *pœnalis*, seu statuti directè: in odium criminis; ut manifestum sit ex verbis P. Sanchez; quæ supra retulimus n. 741. sed de hoc satis. V. lib. 4.

§. 3.

An qualibet libri hæretici lectio inducat pœnas jure statutas?

744 **A** Gimus hic solum de *lectione libri, cujus Author est hæreticus*. An autem omnes, & qui libri, quorum Authores sunt hæretici, veniant hic sub nomine *libri hæretici* constat n. 719. & seq. Unde potissima quæstio est de ipsa *lectione* talis libri. Ut igitur *lectio* talis libri, aut alia actio ex prohibitis inducat pœnas jure statutas in *legentem*, vel *exercentem* unam ex dictis actionibus, not. 1. requiri, quod talis actio fiat *scienter*. Hinc ignorans librum quem legit, retinet, imprimit, &c. esse *librum Authoris hæretici, qui contineat hæresim, vel ex professo tractet de Religione*, non fit reus earum pœnarum, ut conitatur ex n. 728. Not. 2. ut incurrantur dictæ pœnæ propter *lectionem* libri hæretici, non sufficere, quod legat unam, vel alteram lineam; sed requiri, quod scienter legat materiam notabilem, & sufficientem ad peccatum mortale. Sic Azor p. 1. l. 8. c. 16. q. 3. & alii; & quamvis perfecta hæresis contineri possit etiam unâ vel alterâ solum lineâ; & ideo doccat Toletus l. 1. de Instruât. Sacerdot. c. 19. n. 9. sufficere ad peccatum mortale: ex hoc tamen non sequitur, in hac materia non dari parvitatem materiæ excusantem à peccato gravi; cum hoc admittatur in multis aliis, & hæresis in tam modica insinuatione non causet tantum periculum, dignum tantâ pœnâ, qualis est excommunicatio. Ita Layman. l. 2. summae, tr. 1. c. 15. n. 5.

745 Difficultas est, quæ materia censeatur *notabilis, & sufficiens ad mortale*? consequenter, quæ materia censeatur *parva*? Aliqui dicunt, censeri adhuc materiam parvam, unam paginam, licet liber sit ex majoribus voluminibus; ita Sanchez, Vivald. Rodriq. & Sa, apud Layman cit. n. 5. alii volunt, hanc extensionem esse nimiam, ut Suarez, & Bonacina apud Castropal. p. 1. tr. 4. D. 2. p. 10. n. 26. §. *hanc autem*. Verum si consideretur

gravitas pœnæ, lectio unius tantum paginæ, non videtur esse tanti periculi; ut contineat gravitatem culpæ præsuppositam tantæ pœnæ; cum utrumque commensurari debeat.

Quæstio ulterius est, an incurrat dictam pœnam, in legentes decretam, qui solum audit alium clarè legentem librum hæreticum? affirmant Suarez tom. 1. de censur. D. 20. l. 2. n. 18. licet audiens legentem ad hoc non induxerit. Alii dicunt, incurri, si legentem audiens induxit mandato, vel consilio; non autem, si factus; Sic Azor cit. p. 1. l. 8. c. 16. q. 4. Sayrus, Grassis, & alii. Alii demum docent, tunc solum incurri, quando quis legentem induxit, ut ipse, quod legit, audiat, utriusque intelligibiliter; ita Layman cit. n. 6. §. *Secunda*. Et si hæc sententia, quæ docet omnino incurri censuram ab audiente, quando legentem mandato, vel consilio induxit, ut lectis ab eo auscultare possit (quia sic reverà, ipse quasi per alium legit) Castropalaus tamen cit. n. 4. cum Sanchez, Ugolino, & Coninck, ibidem probabilius cenfet in neutro casu audientem ligari hæc prohibitione inductivâ pœnæ. Cujus ratio est, quod, cum simus in quæstione circa materiam *legis pœnalis*, verba extendi non debeant ultra propriam significationem; at *lectionis auditio* sive cum, sive sine mandato, ut legatur (sicut *nec ipsum mandatum*) non est *lectio in significatione propria*; nam *legere*, propriè, est *visu, & mente, scripta percipere*; ergo.

Ad rationem in contrarium re. quod 747 non semper identitas rationis, & periculi faciat comprehendi sub lege pœnali casum non contentum sub propria significatione verborum legis, ut alias diximus lib. 1. tit. 2. de lege pœnali, ac etiam superius à n. 137. *audire autem legentem*, vel *mandare alteri, ut legat*, etiam auscultandi animo, non est contentum sub propria significatione verbi *legere*, ut diximus num. præced. Deinde nego, rationem prohibendi eam *lectionem*, esse præcisè *utrumque* periculum percipiendi doctrinam hæreticam, sed percipiendi eam *lectionem*, medio nimirum facili, & secreto, ac verbo legis expresso. Unde licet magna pars *lectionis* sita sit in perceptione verborum, & sensus eorum; quia tamen lex pœnalis loquitur, non de qualicumque perceptione, sed *per lectionem*, quæ fit visu; non debet extendi ad verborum, & sensus perceptionem, quæ habetur ex solo auditu.

Et ideo etiam censuram evitat famulus, mandato Domini legens librum hæreticum, aut quisvis alius, si legat solum *materialiter*, hoc est, si quidem scripta, vel librum visu percipiat, sed quid verba significant, non percipiat mente, seu non intelligat. Sic Castropal. cit. §. 2. n. 2. contra Bonacin. de Censur. D. 2. q. 5. p. 4. num. 14. contrarium sentientem. Ex hoc colliges, etiam ab illo evitari censuram, qui animo perlegendi, vel totum, vel magnam partem libri hæretici aggressus lectionem, post unam, alteramve lineam, aut partem modicam, desistit. Non nego, etiam eâ lectione modicâ peccasse graviter, ex vitiosa intentione finis graviter mali; sed nego incurrisse censuram; hæc enim non cadit, nisi in actum externum de se, & seclusâ intentione finis graviter mali, & seclusâ intentione finis non habet talis lectio modica. Ira Suarez cit. D. 20. s. 2. n. 20. Sanchez l. 2. c. 10. n. 31. & complures alii.

## §. 4.

*Quid dicendum de retentione libri hæretici?*

748 **F**inis, prohibendi *retentionem* ejusmodi librorum, est, ut penitus exterminentur, seu, *ne sint in rerum natura*; Sic Graffis, Sayrus, Sanchez, & alii communiter apud Layman cit. n. 7. & alios. Quare in dictam legem (quæ *retentionem* illam vetat) peccat quicumque librum hæreticum (juxta n. 715. & seq.) apud se, & in domo sua; vel apud alium; sive ut suum, sive alienum, sive ut legat, sive ex alio fine retinet; quia talem librum *retinere sine licentia ejus, qui eam dare potest*, simpliciter prohibitum est; Ita Graffis p. 1. decif. l. 4. c. 18. & alii, quos citat, & sequitur Castropal. cit. n. 7. Huic ramen doctrinæ plures limitationes adhibendæ sunt. 1. ut non procedat, si retineas *modico tempore* solum eo fine, ut tradas Inquisitori, vel Ordinario, aut Parocho, alterive Theologo, ut illum comburat. Nam sic protius retentio tendit ad procurandum, quàm ad violandum finem legis. Quia tamen quandoque contingit, quod habens librum hæreticum apud se, etiam animo tradendi aliis, quibus debet, ut aboleatur, id non statim faciat, & subinde ex ejusmodi retentione oriatur justa non raro conscientia anxietas, num tali casu peccatum sit, vel etiam incurfa censura?

749 Ideo nota 1. quod Suarez. d. 20. de fi. de, s. 1. n. 22. teneat, incurri censuram, qui apud se habet librum hæreticum, *animo absolute retinendi*, licet post unam horam facti poenitens eum, ut debet, deponat; sed contrarium probabilis est; non nego eam retentionem esse graviter malam ab intentione absolute illum retinendi; sed nego *illam actionem retentionis externa*, esse ex se graviter malam, & secluso fine graviter malo: at censura non cadit in actum malum, nisi externum, non utcumque sed de se, non autem præcisè ex actu interno, malum. Ita Sanchez l. 2. in Decal. c. 10. n. 57. & complures alii. Not. 2. excusari à censurâ cum, qui habens librum hæreticum (ut primum advertit obligationem non retinendi) statuit deponere, esto id non fiat in continenti, si hoc contingat, vel ex oblivione, vel ex defectu occasionis, statim tradendi iis, quibus debet. Nam retentio, prout est objectum legis poenalis graviter obligantis, includit tempus notabile, quo retinetur; aliâs enim retentio ad momentum (licet conjuncto animo, ut primum commode fieri poterit, deponendi, vel comburendi) puniretur poenâ excommunicationis gravissimâ, quod de mente Ecclesiæ præsumi non potest; ita Castropal. cit. p. 10. §. 2. n. 11. & alii.

750 Quæstio est, an censuram incurrat, absque periculo perversionis retinens librum hæreticum, ad confutandos errores, ac eorum sequaces? Casus semper procedit, si talis retentio fiat, sine licentia illius, qui illam dare potest. Castropalus cit. n. 9. referens ibid. pro se Pegnam, Ugolinum, Toleum, Suarez & Farinacium, absolute affirmat; tum quia lex absolute prohibet retentionem, quin attendat intentionem, quâ fiat; tum quia sæpè, qui sibi persuadet se firmum, cadit, & laqueis, quos evasurum sese credit, facile involvitur, præsertim ex opere, suâ voluntate, suscepto. Accedit quod obligatio legis, quæ fundatur in *presumptione communis periculi*, non cesset, esto id cesset in persona particulari, ut diximus l. 1. t. 2. de Constit. Hanc sententiam (esto contrarium apud eundem Castropalum n. 8. relati teneant Felinus, Mascardus, Decianus, & alii) judico probabiliorē propter rationes, quibus nititur. Aliqua tamen limitatio adhibenda videtur ex Layman l. 2. Summæ tr. 1. c. 15. saltem pro iis provinciis, ubi constitutio Bullæ Cœnæ, & aliorum

rum decretorum Papalium, usu firmata non est quoad rigorem omnium in iis contentorum; cum ex dictis l. 1. in tit. de Constit. leges, etiam, postquam debite promulgatae sunt, defuetudine legitimâ abrogari possint. Unde cit. Author n. 4. notat, libros hæreticorum, historicos, poëticos, medicos, & juridicos, licet obiter hæresim inspersam habeant, his in regionibus non prohiberi. Nam usus contrarius ab annis plurimis notorius est. Tales enim libri passim retinentur in Bibliothecis Catholicorum in his provinciis septentrionalibus, & leguntur; quod tamen intellige, si ex professo non tractent de Religione; sicut contingit in historia Joannis Aventini, Joannis Sleidani, Sebastiani Munsteri, & similibus, quorum nomina in indice librorum prohibitorum expressè posita sunt; horum enim institutum præcipuum est, Romanum Pontificem, & statum Clericorum, ac Monachorum denigrare, deprimere, & in contemptum ducere.

751 Notat 2. non peccaturum, si contingat casus, quo vir prudens, ac doctus in Germania, locum aliquem contradictionis in hæretico Authore quærit, certo sperans, eo exhibito alterum ad fidem Catholicam perducendum; tum quia tali casu prævalet lex charitatis, quæ est juris naturalis; tum quia in his partibus id usus obtinuit, propter quod Martinus Becanus in 2. 2. c. 15. q. 8. ait. *Ubi Bulla Cæna Domini, vel index librorum prohibitorum, receptus non est, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros hæreticos.* Sed observandum, Laymannum loqui de casu, ubi hoc fit *ex causa ad bonum fidei necessaria*, vel ad juvandos errantes, ut errores dedocantur; non autem ex aliis finibus curiositatis, aut stomachi adhuc hæresim redolentis, prout communiter fit, ubi per reformationem maxima pars hæreticorum proscripita est, posteris adhuc suspirantibus allium, & cepas Ægypti. 2. Eum non loqui *de quolibet*, sed viro prudenti, ac docto, nimirum in fidei controversiis, ac Theologicis probè instructo: reliqui enim (etiam nonnulli Parochi, ac Clerici minus docti) rectius, & securius juvantur lectione librorum Catholicorum, & tractatum, sanè plurimorum, ac utilissimorum, qui & hæreticorum errores sincerè proponunt; & veritate Catholicâ convellunt.

752 Quæstio altera in hac materia est, an

*habens librum hæreticum, & ut primum advertit esse talem, non tradens inquisitori, sed comburens, vel alio modo annihilans eum, excusetur à censura?* Et talem excusari à censura, quam infligit Bulla Cœna; non autem ab ea; quam decerunt aliæ Pontificum constitutiones. Ita Suarez cit. d. 20. de Fide. f. 2. n. 23. Sanchez l. 2. decal. c. 10. n. 56. Barbosa p. 3. de potestate Episcopali, allegat. 90. n. 5. & alii. Ratio primæ partis est, quia finis, qui quæritur in Bulla Cœna, est, ut talis liber pereat, & non sit in rerum natura; hoc autem obtinetur, si comburatur. Ratio 2. partis est, quia aliorum Pontificum decreta non intendunt ejusmodi librorum annihilationem utcuque, sed *positivè traditionem Inquisitori faciendam, ut Author libri cognoscatur, & errores in eo contenti rectius emendantur*; ubi secus facientibus statuit eadem excommunicatio, & aliæ poenæ contra hæreticos latae. Sic habet Julius. 3. In Bulla incip. *Cum meditatio*; quam prohibitionem poenalem (à nonnullis intellectam solum *de tunc existentibus*) extendit etiam *ad futura tempora* Pius IV. in Bulla incip. *locum pro munere*, edita 1564. Idem cavetur in regula 2. Indicis librorum prohibitorum, editi autoritate Concilii Tridentini, confirmati à Pio IV. & renovati jussu Clementis VIII. Quia tamen in his partibus non sunt inquisitores Apostolici, ideo hoc decretum in observationem aliam non deducitur, ut in simili not. Layman cit. n. 4. *S. Tertia*; nisi tradendo Episcopis, suis Pastoribus, vel confessoribus, aut etiam comburendo, prout hoc ostendit usus jam receptus.

S. 5.

*Quid dicendum de impressione libri hæretici?*

CUM poenæ statuta etiam dirigantur 753 ad eos, qui *scienter imprimunt libros hæreticos*, in eos omnes cadunt, qui propriè talis impressionis causa sunt, seu de quibus in propria significatione verificatur, *ly imprimere*, per physicam nimirum cooperationem, ac actum imprimendi: inter hos cooperatores numerantur, qui literas componunt, chartam, & atramentum præparant, torcular premunt, & similia. Sic Ugolinus de censuris Papæ reservatis p. 2. c. 1. V. *Imprimentes*. Sanchez cit. n. 57. Suarez cit. d. 20. f. 2. n. 24.

Qua-

754 Quæstio est, an hoc loco etiam comprehendatur *Patronus officina*, licet propriis manibus ipse nihil labore? 2. *Autor libri*, cujus nomine imprimitur? 3. qui dat expensas pro typo? 4. qui facit correcturam? R. ad 1. affirmative? Nam talis proprie dicitur impressor, seu *Typographus*, esto per suos famulos impressionem physicè exequatur. Idem est de secundo. Nam *Autor libri* in propria loquendi ratione dicitur *librum imprimere*. Ad 3. videtur affirmandum; quia, qui dat pretium, vel pretio conducit, positivè collaborat. De 4. res non ita constat; quia corrector libri potius *sub legente*, quàm *imprimente* venit; quamvis valde probabiliter suspectus de hæresi merito dicatur. Illi porrò, qui materiam conficiunt, chartam, & atramentum, & reliqua instrumenta venalia, in usu typi, sunt causæ valde remotæ, nec sub nomine *imprintingum*, veniunt. Ita Castropalaus cit. n. 13.

## §. 6.

*Quid dicendum de defendentibus, vendentibus, ementibus, & transportantibus libros hæreticos?*

755 **I**N Bulla *Cæna Domini* statuitur excommunicatio etiam in *defensores* libri hæretici. Difficultas est, quæ actio censeatur *defensio* eâ constitutione poenali prohibita? Plura super hoc tradunt Suarez cit. d. 20. l. 2. n. 25. & Sanchez cit. c. 10. à n. 58. Cum autem *defensio* fieri possit *verbo*, & *facto*, de utroque intelligenda est qualibet actio impeditiva, quò minus ejusmodi libri comburantur, annihilentur, vel iis, quibus debet, consignentur; sic Castropalaus. cit. §. 2. n. 14. licet autem in prohibitione, quam facit Bulla *Cæna* non ponatur expressè, *venditio*, *emptio*, & *transportatio*, aut *transcriptio* libri hæretici, continentur tamen in bullis Pontificum, de quibus n. 252. iisdem statutum expressè poenam excommunicationis. Accedit, quòd, cum illæ actiones non fiant sine *retentione*, vel *lectione*; utraque autem sub poenis prohibita sit in Bulla *Cæna Domini*, eo ipso etiam sub ejus prohibitione venire dictas actiones. Et ideo, ut rectè observat Layman cit. n. 7. cavere debent Bibliopola, ac bibliopecti (si velint immunes esse ab excommunicatione) cum eorum actiones fieri nequeant sine *retentione*, ne tales actiones exercent.

## §. 7.

*Quid dicendum de libris prohibitis in Indice librorum hæreticorum?*

756 **C**UM constet dari Indicem librorum prohibitorum, editum autoritate Concilii Tridentini, confirmatum à Pio 4. Sixto 5. & Clem. VIII. ut notat Layman cit. n. 8. qui observat in eo libros ibi prohibitos in 2. classes distingui; etiam de his breviter agendū erit. Prima classis continet Authores hæreticos, vel de hæresi publicè suspectos; & horum omnes libri, qui continent hæresim, vel ex professo tractant de Religionem, non tantum editi, sed etiam *in futurum edendi*, ibidem prohibentur. His annumerantur ex 2. regula *Indicis*, omnes libri, qui authorem habent hæresiarcham, cujuscunque tituli, argumenti, aut nominis sint. Nam damnato Authore in aliquo genere (v.g. in materia Religionis) damnati quoque sunt ejus libri in eodem genere, licet alias mali non sint. arg. c. *Fraternitatis* de hæret. Ad alteram classem pertinent omnes libri, qui doctrinam *non sanam, suspectam*, vel *moribus fidelium repugnantem* continere judicantur, iametii à Catholicis Authoribus prodierint.

757 Circa duas hæc classes not. 1. In prima classe contineri libros hæreticorum (qui tales sunt juxta numerum 719.) quibus accedunt quicunq; etiam alii, authoris, seu ducis hæreticorum; nec solum tunc editi, cum emanavit decretum *Indicis*; sed etiam *deinceps edendi, licet in Indice non expressè*, ut constat ex præcedente numero: sub secunda vero classe non veniunt libri Catholicorum, esto contineant materiam prohibitam, *donec speciatim* in indice relati sint. Sic Layman cit. n. 8. §. *Inter*. Not. 2. libros primæ classis prohiberi sub poena excommunicationis *Papa reservata*; & hoc virtute Bullæ *Cæna*; libros autem secundæ classis pariter sub poena excommunicationis, non tamen reservatæ; circa quod Layman loc. cit. addit. *Indicem Romanum* (in quantum attinet ad prohibitionem librorum secundæ classis) apud nos in Germania receptum non esse; quia nemo est, qui in observationem cum autoritate deducat, seu observantiam cum potestate urgeat.

758 Not. 3. in indice librorum prohibitorum, jussu Clementis X. edito Romæ 1670. circa

circa libros prohibitos, statim in principio præscribi complures regulas in hac materia observandas. Quare not. 4. libros omnes, ante annum 1515. à summis Pontificibus, vel Conciliis œcumenicis damnatos, licet in hoc Indice non sint, eodem modo damnatos esse censendos, sicut olim damnati fuerunt; sic Indicis regula 1. Not. 5. per secundam regulam omnino damnari omnes libros hæresiarchatum, & aliorum hæreticorum, qui tractant ex professo de Religione; si autem ex professo non tractent de Religione, ubi ab erroribus, si quos continent, expurgati, & iussu Episcoporum, ac inquisitorum à Catholicis Theologis examinati, ac approbati fuerint, permitti. Not. 6. libros etiam Catholicè scriptos ab illis, qui postea in hæresim prolapsi sunt; vel ab his, qui post lapsum ad Ecclesiæ gremium redierunt, permitti posse, si approbati sint à facultate Theologica alicujus Universitatis Catholice, vel ab inquisitione generali, pariter per regulam 2. Indicis.

759 Not. 7. Fidelibus per regulam 4. Indicis prohiberi, ne *Sacra Biblia*, idiomate vulgari, legant, aut habeant sine Episcopi, vel Inquisitoris licentia. Hanc prohibitionem in his nostris regionibus receptam non esse, refert Layman cit. n. 8. §. IV. Regul. ex Nicolao Serario in Prolegom. Bibl. c. 20. q. 3. dicente: laudari qui in Germania nostra, nullà diserte facultate petita, Biblia, vulgata, & vernacula Eckii, vel Dietembergii legunt. Ubi adverte, quod non loquatur de Bibliis, vulgatis in *quacumque versione, facta sine respectu ad Versorem*. Nam versiones, præsertim novi Testamenti, factæ ab Authoribus primæ classis hujus indicis (nimirum ab hæreticis, qualis est versio Lutheri, Munsteri &c.) omnino prohibentur per regul. 3. quibus addi potest observatio Clementis VIII. in dictam regulam 4. de licentia concedendi facultatem legendi, emendi, vel retinendi Biblia, vulgari lingua edita.

760 Not. 8. libros cujuscunque Authoris, res obscenas seu lascivas ex professo tractantes, narrantes, aut docentes, omnino prohiberi, exceptis libris, qui ab Ethnicis v. g. Poëtis conscripti sunt, qui propter sermonis elegantiam, & proprietatem, permittuntur, sed pueris nullatenus, nisi purgati, prælegendi sunt, per regulam septimam. Not. 9. per regulam 9. prohiberi libros omnes, in quibus continentur sortilegia, magiæ, ac

Tom. V.

veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, &c. non autem judicia, & naturales observationes, quæ conscriptæ sunt, *navigationis juvanda*, artis medicæ, agriculturæ, &c. de quibus plura in regulis Indicis citati.

§. 8.

*Quos dictæ prohibitiones, circa libros prohibitos, afficiant?*

**R**esp. prohibitionem Bullæ *Cæna* cade. 761 re in omnes fideles, quacunque dignitate sive Ecclesiasticâ, sive seculari fulgentes, ut liquet ex textu. Omnes enim in iis, quæ ad religionem, & bonum fidei pertinent, jurisdictioni Ecclesiasticæ subduntur; quod tamen intellige; secluso privilegio. Quæstio autem potissima hic est, quis concedere possit ejusmodi privilegium quoad actiones, cæteroquin prohibitas in materia concernente libros hæreticos? Responso communis est, neminem (nisi summum Pontificem; aut, cui ipse expresse concesserit) posse dare facultatem legendi libros hæreticorum, qui, vel hæresim continent, vel ex professo de Religione tractant; cum hanc potestatem in Bulla *Cæna* sibi reservet. Et ratio est ex l. 1. de Constitut. quia seclusâ concessione speciali, vel jure, alio titulo, acquisito, nullus inferior in lege Superioris quidquam disponere potest, ut ibidem pluribus expositum est.

In quæstione autem, circa poenas, quæ 762 decretæ sunt in transgressores dictarum prohibitionum, not. 1. id explicari regulâ 10. Indicis, de quo supra, ubi in fine sic habetur: *si quis libros hæreticorum, vel cujuscunque Authoris scripta, ob hæresim, vel ob falsè dogmatis suspicionem, damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat; qui verò libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio Episcoporum severè puniatur.* Not. 2. *Scienter* legentes, retinentes, imprimentes, aut defendentes hæreticorum libros, præter excommunicationem Papæ reservatam, reddi *suspectos de hæresi*, ac reputari fautores hæreticorum, de quorum poenis vide dicta superius. Not. 3. quæ diximus hætenus de variis constitutionibus Ecclesiasticis (præsertim poenalibus) contra hæreticos, in multis per defuetudinem, jam introductam ulu contrario, non amplius

X

plius

plius observari, ut in specie circa libros hæreticos notavimus in præcedentibus. Similiter dicendum est de pœnis aliis, de quibus fuisse agit Philippus Braun in Principiis Juris canon. l. 5. tit. 7. de hæreticis, à §. dico. 2. ubi plura recenset, quæ per instrumentum Osnaburgo - Westphalicum A. 1648. hæreticis indulta sunt in temporalibus, ut in capiendis legatis à Testatore Catholico, &c.

763 Demum not. 4. etsi lex humana, per

usum contrarium, legitime inductum abrogari possit non tantum quoad pœnas, sed etiam culpam, cæteroque nascentem ex eius inobservantia, licet idem præcipiat, vel prohibeat, quod jus divinum, & naturale; hoc tamen intelligi, de culpa, & pœna legis humana. Nam, in quantum adversatur juri naturali, & divino, nulla consuetudo effectum habere potest, ut licitum, aut impunè fiat, quod hoc jure illicitum est, ut diximus l. 1. tit. 4. de consuetudine.



## QVÆSTIO VIII.

### IN TITULUM VIII. DE SCHISMATICIS, ET ORDINATIS AB EIS.



*Schisma*, vi vocis, significat *divisionem*, seu *separationem*. Hic accipitur pro separatione, ab unitate Ecclesie Catholice, in quantum est corpus mysticum ex universis fidelibus, & Romano Pontifice, tanquam Capite conflatum. Ita S. Thomas 2. 2. q. 39. a. 1. Hæc separatio dupliciter fieri potest. 1. si quis se separet à Capite Ecclesie, ac cæteris ejus membris. 2. Si tantum ab alterutro: quibus positus sit

#### ARTICULUS I.

*De Schismaticis, & pœnis eorum.*

764 **Q**uæstio est 1. quis sit *Schismaticus*? R. quod is, qui subesse renuit Romano Pontifici, vel membris Eccl. illi subiectis communicare recusat. Ita Sanchez l. 2. moral. c. 36. n. 1. Sylvester V. *Schismaticus* dicitur autem quis se separare à *Capite Ecclesie*, quando renuit subesse Romano Pontifici, tanquam Capiti Ecclesie, seu in quantum gerit vices Christi in terris. Dicitur se separare à *membris Ecclesie*, quando spirituales Ecclesie actiones exercere vult (v.g. *orare, Sacramenta percipere*) non ut pars Ecclesie, sed ut pars constituens totum aliquod ab illa separatum. Ita Sanchez cit. num. 2. & alii.

765 Ex hoc colliges 1. eum, qui agnoscit Romanum Pontificem, Christi Vicarium,

ei tamen ex parte *rei præcepta* (v.g. *ut arma deponat, ut ablata restituat*) parere recusat, non esse propriè Schismaticum. Idem est, si ei parere recuset ratione personæ præcipientis, v.g. quia credit eum præcipere ex odio, vel quia tibi est suspectus &c. Coll. 2. non esse propriè Schismaticum, qui recusat obedire Romano Pontifici ex eo capite, quia probabiliter judicat, illum non esse Papam legitimum. Sic Azor. p. 1. l. 8. c. 20. q. 4. Coll. 3. non esse propriè Schismaticum, qui recusat subesse authoritati Episcopali diocesanæ, vel communicare membris Ecclesie particularis v.g. *salis diocesis*; quia per hoc se non separat ab Ecclesia *universali* c. *scire*. 7. q. 1. & c. *loquitur* 24. q. 1. sic Azor. q. 4. Coll. 4. cum duplex unitas seu unio detur in vera Dei Ecclesia (prima enim, & præcipua est, *unitas vera fidei*; altera *unitas fidelium inter se, in uno corpore cum suo Capite, qua unio habetur in Sacramentis, cultu divino, subjectione, & subordinatione ad suum caput*) duplicem quoque separationem esse; primam, quando quis se separat ab Ecclesia *in unitate fidei*, ut faciunt hæretici; secundò cum *ab unitate Corporis*, recusando communionem cum ejus Capite, vel membris.

Quæstio est 2. in quo differant *hæresis*, 766 & *Schisma*? Glossa in c. *Inter hæresim* 24. q. 3. V. *de Schisma*, docet, quòd differant, *ut genus, & species*. Nam omnis hæreticus est Schismaticus, sed non econtra, ut si quis credat omnes articulos fidei, etiam Primatum